



~~III~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

17-28. VITEBERG.

SIGNAT. MDCCCXIII

I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
*XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX
XXX



DISSERTATIO
 THEOLOGICO-PHILOLOGICA
 DE
 UNCTIONE ÆGROTORUM
 PRECIBUS JUNCTA
 ET
 MUTUA OFFENSIONUM
 CONFESIONE,
 FRUSTRAQUE INDE EXSCULPTIS
 EXTREMÆ UNCTIONIS ET CONFESS.
 AURICUL. SACRAMENTIS;

AD
 JACOB. CAP. V. COMM. 14, 15, 16.

QUAM
 SACRÆ SYNAXEOS USUI PRÆVIAM,
 a. d. Jovis, XVII. Jul.

PRÆSIDE
 RECTORE MAGNIFICO,
CONRADO IKENIO
 SS. TH. D. ET P. P. O. AD ÆD. D. STEPH. PAST. PRIM.
 PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT
 RESPONDENS,
HENRICUS GERMANUS GEORGIUS IKEN,
 BURGO-STEINFURTENSIS SS. TH. C.
 H. L. Q. S.

BREMÆ,
 TYPIS VIDIÆ B. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
 GYMNASII TYPOGRAPHI. A. M DCC XLIX.

XXXX

DISSERTATIO
 DE THEOLOGICO-PHILOGICA
 UNCTIONE AEGROTORUM
 PRECIBUS UNCTA
 MULTA OFFENSIONUM
 CONFSSIONE
 FRUSTRAQUE INDE EXSCURTIS
 EXTREMA UNCTIONIS ET CONFESS
 AURICUL SACRAMENTIS
 DR. JACOB CAR. V. COMM. P. S. S. S. S.
 SACRAE SYNAXES USUI TRIVARI
 a. d. Jovis, XVII. Jul.
 PRESIDE
 RECTORUM MANIPULI
 CONRADO IKENIO
 SS. TH. D. P. R. O. AD. ED. D. STEPH. VAST. PRIM.
 PUBLICE DISC. S. TH. O. N. I.
 HENRICUS GERMANUS GORCHANSKY

REC
 H. E. M. S.
 THE MUSE N. HERN. CHRIST. JANI. GYMNASII HERTENSIS
 GYMNASII TYPOGRAPH. A. M. DCC. XLII.



PERILLUSTRIBUS,
PERQUAM MAGNIFICIS, CONSULTISSI-
MIS, AMPLISSIMIS
LIBERÆ REIPUBLICÆ BREMENSIS
PRO CERIBUS.

DN. DANIELI A BÜREN
ICTO EMINENTISSIMO, JUDICI HÆREDITARIO IN
BORGFELD, REIPUBLICÆ CONSULI SENIORI, ECCLE-
SIARUM AGRARIARUM VISITATORI, XENODOCHII-
QUE REMBERTINI PROVISORI EXCUBANTISSIMO,
NEC NON BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ INSPECTORI
SUPREMO.

DN. DIDERICO MEIER
ICTO EXCELLENTISSIMO, CONSULI, CIVITATIS
EMOLUMENTIS EGREGIE INVIGILANTI, *LONGE*
MERITISSIMO.

DN. HENRICO LAMPE
ICTO PRÆCLARISSIMO, CONSULI ITIDEM DIGNIS-
SIMO, CUM MAXIME PRÆSIDI, URBIS CLAYUM DEX-
TERRIME INTEGERRIMEQUE MODERANTI.

DN. CHRIST. SCHOENE
ICTO CONSUMMATISSIMO, CONSULI, DE OMNI
REPUBLICA IMMORTALITER MERITO, INSPECTORI AD
D. MICHAELIS SUPREMO ILLUSTRISQUE SCHOLÆ
CONSTITUENDÆ DUUMVIRO VIGILANTISSI-
MO, GRAVISSIMO.

NEC

NEC NON
VIRO
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
CONSULTISSIMO,
DOMINO
HENRICO GERHARDO
SCHUMACHER

JCTO INCOMPARABILI, JUDICI HÆREDITARIO IN
BORGFELD, PROFESSORI QUONDAM ILLUSTRIS LY-
CEI CELEBERRIMO, CUM MAXIME VERO SENATORI,
ET REI MILITARIS PRÆFECTO, ECCLESiarUM AGRi
VISITATORI, NEC NON SCHOLARCHÆ PRU-
DENTISSIMO.

MÆCENATIBUS
MUSARUMQUE PATRONIS
MUNIFICENTISSIMIS
OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU
ÆTERNUM PROSEQUENDIS, DEVE-
NERANDIS,

QUA PAR EST OBSERVANTIA ANIMIQUE SUBMISSIONE

SACRAS HAS PAGINAS FACIT

RESPONDENS.



DISSERTATIO
THEOLOGICO-PHILOLOGICA

AD

JACOB. CAP. V. comm. 14, 15, 16.

§. I.



Antiquitatum Judaicarum, quarum plenior nobis cognitionem Rabbiorum præcipuè scripta suppeditant, studium, cum multa alia, tum hoc imprimis solum abundè commendat; quòd non pauca Scripturæ loca, sine hoc adminiculo rectè intelligi non possint.

§. II.

Obrinet id quidem præcipuè in illis Veteris instrumenti, quæ de priscis Jacobæe gentis ritibus atque cerimoniis expresso agunt, aut eò alludunt, sed ita, ut multa tum temporis ipso usu atque experienciâ satis nota, distinctius non memorent, quæ cum maximè penitus ignoraremus, nisi magistrorum industria eorum pleniorē noticiam chartis

A

con-

✠ ○ ✠

consignasset & ad feros posteros transmisisset. Idem tamen in Novi Fœderis tabulis sæpissimè quoque usu venit: quod tantò minùs mirum, quò magis hæ non solum Judæorum ejus avi fata & mores tangunt, sed & primitiva Christianorum Ecclesia ex illâ Judæorum nara, hujus instituta in multis servavit, & ad purioris atque Evangelicæ Doctrinæ placita transtulit, aut iisdem accommodavit.

§. III.

Hinc igitur si illa non rectè cognoscantur, fieri non potest, ut in his ritè explicandis, feliciter satis versentur. Quid? quod ipsa experientia abundè testata est, adminiculi hujus defectum haud rarò manifestissimas *παρερμηνείας*, imò gravissimos errores peperisse. Exemplo evidentissimo esse poterit maximè memorabilis & *πλουσιλόγητος* locus, quem hac dissertatione nobis propiùs excutiendum sumimus, in cujus explicatione idcirco Summi Viri tanto opere fluctuarunt, quin & ex quo Ecclesia Romana geminum inprimis Sacramentum, EXTREMÆ UNCTIONIS & CONFESSIONIS AURICULARIS, licèt invitâ planè Minervâ, exsculpere quæsit.

§. IV.

Hæc dum memoro, facilè intelligis, B. L. me argumentum tangere dudum in scriptis polemicis inter Protestantes & Pontificios ultrò citròque agitarum. Verùm hoc ipsum mihi otium facit, historiam litis hujus enarrandi, eandemve postminidò recoquendi, aut argumentorum, quibus ab unâ parte hypothesebus prætextus quæsitus est, *ὀυδενσίαν*, aut eadem ab alterâ dudum debellatæ sunt, pondus atque momentum eruendi. Quod ipsum uti & scopo meo minùs conveniens est, ita contra, mihi potiùs proposui, mentem Apostoli simplicemque verborum ejus sensum indagare hincque tandem evincere, illis nihil minus, quàm geminum istiumodi sacramentum contineri. Quod dum
ago,

ago, magnum quoque mihi operis compendium faciunt Viri Docti, qui vel integro commentario totam hanc Epistolam, ejusve præcipua loca, aut peculiaribus dissertationibus, hæc inprimis verba, illustrarunt, quorum præcipuos recentent Rev. WOLFIUS in *Cur. Crit. & diligentissimus* SCHETELIGIUS in *Catal. Dissert.* in h. l. A quibus adeo quæ fusiùs jam deducta sunt, non nisi extremis digitis tangam. Ut autem in universà re tantò certius feliciùsque progrediar, præmittam nonnulla, quibus explicationem deinde præcipuè superstruam, quæque ita sunt comparata, ut neminem extra partes positum & rem æquã judicij lance ponderantem, ea mihi denegaturum confidam.

§. V.

Primum horum sit, quòd Jacobus Judæis ortus & ad gente Judæos, seu *duodecim tribus in dispersione* cap. I. com. I. scribens, censerì debeat, sermonem ad res Judæis cognitatas, aut apud eosdem usu receptas, attemperasse. Postularum hoc tam æquum est, ut nemo de eo cum ratione ambigere queat, cum non solum rei ipsius indoli conveniat, dum singulis populis sui mores propiùs sunt cogniti, & qui cum aliis agunt ad ritus illis notos & apud eosdem usitatos respicere solent, sed & idem Scriptoribus sacris perpetuò in more positum sit. Hinc Paulus ad *Hebræos* scribens ubique ab eorum sacris locutiones desumit, dum idem cum *Corinthiis*, *Ephesiis* aliisque gentibus agens, ab eorum ludis aliisque cerimoniis sacris aut profanis easdem mutuatur. Tantò majori autem jure id hic præsupponitur, quòd magis Ecclesia Christiana ex Synagogâ Judaica nata est, ritusque & consuetudines in hanc quondam sive ipsius Dei jussu aut adprobatione, sive pio, aut saltem innocuo majorum instituto invecitæ, in illam translatae sunt, quod omnium confessione ita constat, & inprimis mille speciminibus tam luculenter à *Celeberrimo* VITRINGA in Libris de *Synagoga Veteri*, comprobatum est, ut nemo hac de re ampli-

amplius ambigat. Quod si igitur indubiò ostendi queat, omnia hæc verè in Ecclesiâ & Synagogâ Judaicâ vigiisse, neque quicquam continuïssè quòd principiis & Doctrinæ Christianismî non per omnia conveniat, nil superest, quàm ut concludamus, inde verè petita esse, atque ex hoc fonte commodissimè explicari.

§. VI.

Alterum sit, quòd omnia hæc commata ad conditionem ægrotorum & officia illis exhibenda aut ab iisdem observanda, horúmque sequelas relationem habeant. Patet id quoque quàm clarissimè ex ipsis Apostoli verbis. Singulis enim his versibus disertè sermonem ad illos restringit, ut com. 14. *INFIRMUS quis est (ÆGROTAT quis) inter vos? advocet seniores Ecclesiæ, &c.* com. 15. *Oratio fidei servabit ÆGROTANTEM, & ERIGET ipsum Dominus.* & com. 16. *& precamini alter pro altero, ut SANEMINI.* Hinc igitur ultrò patet, si quis mentem Apostoli pressè sequi velit, hunc verba semper in hac relatione considerare debere, nullámque adèò explicationem valere aut scopo atque intentioni Jacobi convenire posse, quæ non ex hoc principio deriveretur.

§. VII.

His igitur præmissis, ad præscriptum commatibus 14 & 15. *medium sanationis ægroti*, primùm progredimur.

^{Λ θ αναί} generatim omnem *imbecillitatem* aut *infirmi-
tatem tam mentis quàm corporis* denotare, notius est quàm ut
moneri oporteat. vid. interim de priori KUHNIIUS ad
ÆLIAN. V. H. Lib. IV. c. 8. de posteriori *Cel.* ELSNERUS ad
Marth. XXV. 36. atque hoc posteriori sensu *infirmi-
tatem corporis*, ab *imbecillitate mentis* distinguit EURIPID. in *Oreste*
V. 227.

^{δταν με ἀνή νόσος}
Μαριας, ἀναρθε γος τιμου, καὶ θενά μελη
quando me dimittit morbus

Insa-

Infantia, sum debilis, & LANGUENT (INFIRMA SUNT) membra, ubi Scholiast. adnotat: ἀδυνάμειν τὸ δέμας. Eadem ratione vox hæc à Rabbinijs cum multis alijs vocabulis græcis civitate donata, **יִשְׁתָּנִּין** *Isthenis*, de infirmo, debili, ex infirmitate cibos fastidiente, usurpatur, vid. *Summus COCCIJUS* in not. ad *Excerpt. Gemar. Sanhedr.* cap. XI. num. XLII. laudatus cum alijs *WAGENSELLIO* ad *Sota* p. 233. qui de eadem plura promisit in not. ad *Massechet Purim* edenda, sed quæ cum multis alijs lucem nunquam adspexerunt. conf. & *COHEN DE LARA* in *Cether Cebunna & Ir David* in h. v. Atque hinc statim evidens est, *Summum* ceteroquin Virum *JOH. SELDENUM*, de *Synedr.* Lib. II. cap. VII. minus rectè vocem de moribundo accipere, cùm potiùs quocunque morbo laborantem denoter, ut jam monuit *Celeb. VITRINGA* in *Archi Synag.* p. 412.

Celeb. WERENFELSIUS in *Sylloge Differtat.* p. 473. laudatus *WOLFIO* ad h. l. quidem existimat, hic præcipuè sermonem esse, de morbis *Θηλάτοις*, & ob certa peccata extraordinario modo à Deo immisiss, idque maximè ob sequentem phrasin, *& si peccata commiserit, ἀφεθήσεται αὐτῷ, remittentur ipsi.* Eandem sententiam diligentius non ita pridem exornavit propiùsque urfit Vir Reverendus, *GEORGIUS BENSONUS* in *Paraphrasi & not. in Epistol. Jacobi*, curâ *Clariss. JOH. DAV. MICHAELIS*, in ling. lat. conversis, qui & ipse ei pollicem premit. Verùm ipsa illa verba ad quæ *Clariss. WERENFELSIUS* provocat, *si peccatum fecerit, remittetur illi,* videntur potiùs suadere, ut priora de quocunque morbo generatim accipiamus, posteriora autem illa, tanquam propriorem limitationem, ac si dicere velit *Apostolus*, non tantùm Deus ægròrum eriget, sed & si morbus ob peculiare aliquod peccatum immisissus fuerit, & cum sanatione Deus ipsum peccatum remitter, ut mox distinctiùs videbimus. Quod tantò manifestius est, quò magis ceteroquin officium ab *Apostolo* præscriptum, nimis restringeretur, cùm non semper, imò rariùs cerò constet, quòd morbus ob singulare aliquod peccatum à Deo immisissus sit.

S. VIII.

Officium igitur ægroti, quod Jacobus exigit, est, ut accersat presbyteros.

Presbyterorum vocabulum ex Synagogâ Judæorum quoque in Ecclesiam Christi translaturum, atque uni illic eo nomine insigniebantur moderatores Synagogæ, ita hic eos denotare, qui Ecclesiæ Christianæ præsumt, notius est, fusiùsque à Cl. VITRINGA Synag. Vet. Lib. II. cap. 2. & Celeb. RHENFERDO de X. Orat. Diff. I. §. 89. seqq. demonstratum est, quàm ut vel moneri opus habeat. Deinde *πρεσβυτερος* hos ab Apostolis constitutos horumque officium fuisse *πρεσβυτερος*, pascere gregem Christi & *ἐπιμενεῖν* eum procurare, sicque *πρεσβυτερος*, *ποιμηνεύς* & *ἐπιμενεύς* Apostolorum ævo, ejusdem notionis atque muneris fuisse vocabula, & cum Judæorum *זקנים* & *זרנים* convenisse rectissimèque per Pastores explicari à SALMASIO, libro de Episcopo & Presbyteris, & Cel. VITRINGA in Archisynag. cap. III. & V. (conferatur idem de Synag. Vet. loco adducto & Lib. III. P. I. cap. 1. & 2.) abundè demonstratum. Pluralem numerum advocet PRESBYTEROS, hic non omnes & singulos alicujus urbis presbyteros denotare, sed numerum multitudinis indefinitè usurpari pro uno ex illis, post Cel. MONACHIUM exemplis adstruxerunt Viri admodum Venerandi DEYLINGIUS Observat. P. III. n. XLVIII. & WOLFIUS in Cur. Crit. Mallem tamen dicere aliquem presbyterorum, quàm unum, quia id indefinitæ locutioni magis convenire videtur. Imò non ausim asserere, nullos potuisse existere casus, ubi non etiam duo aut plures accersiri poterint, aut id vi horum verborum quoque licitum non fuisse.

Ceterum non video Commentatores in hunc locum factis attendisse ad emphasin & rationem, cur Apostolus, de ægrotto ipso scribat, advocet seniores. Id enim haud obscure innuit ægrotum se minimè in hoc negotio merè passivè habere debere, sed & in ipso debitam mentis dispositionem, piùmque desiderium recuperandæ per præscripta media sanitatis

nitatis

nitatis requiri, imò omnia ita agenda esse, ut ex ejus voto fiant. Quæ observatio in posterum nobis adhuc usu veniet.

§. IX.

Scopus itaque est, ut Seniores postquam eum oleo unxerint, super ipso preces fundant.

Præcipua hic difficultas oritur, qualis unctio intelligi debeat, utrum talis quæ ordinarii remedii rationem habeat, an verò, quæ tanquam symbolum miraculose sanationis adhibebatur. Prius post LIGHTFOOTUM inprimis urfit. Cel. SCHOETGENIUS, quorum ille in Hor. Hebr. ad Marc. VI. 13. scribit: *Detur unctionem talem fuisse medicinalem, quod nequaquam potest negari, & tum nihil obscuri est in verbis Jacobi cap. V. 14. Advocentur Presbyteri Ecclesie, & vel ab iis, vel iis presentibus, ungetur agrotus, ut conjungantur cum ordinaria ista medicina eorum preces. Conferatur idem in Chronica temp. & ord. Text. V. T. Tom. II. p. 111. seqq. ubi de eadem re fusius. Inprimis verò mentem propiùs explicat in Hor. Hebr. ad Matth. VI. 17. scribens: Unxerunt se non rarò, non in luxum, decorem aut delicias, sed in morbi alicujus medelam, aut corporis sanitatem; quod postquam uno alteroque loco confirmasset, subjungit: Hinc cum dicuntur Apostoli oleo unxisse agrotos ac sanasse Marc. VI. 13. ORDINARIA MEDICINA USI, extraordinario ac non errante effectu sunt potiti. Hinc illud Jacobi cap. V. 14. Agrotus advocet Presbyteros Ecclesie, & precentur pro eo, ungentes eum oleo, in nomine Domini, id est, ORDINARIE ISTI MEDICINÆ, UNCTIONI SCHLICET IN SANITATEM ADJUNGANTUR PRECES MINISTRORUM ECCLESIE. Hic autem in Hor. Hebr. ad h. l. Multi sunt, qui dicant indigitari b. l. sanationem & curam extraordinariam, aut cum miraculo conjunctam, sed non opus est, ut eo descendamus. Notum est oleum terræ judaicae magnam habuisse vim ad confortandum hominem infirmum. Adeoque unctio ista fuit merè naturalis non miraculosa, &c.*

Alii

Alii contra in omnia alia abeuntes, ordinarium & naturale remedium penitus excludunt, oleumque tantum ut symbolum extraordinarii doni sanationis, nascenti Ecclesiae concessi, hic aequè ac Marc. VI. 13. considerari volunt: *Fuit igitur, sunt verba BEZÆ, oleum symbolum mixtificæ istius virtutis, non medicamentum quo morbos curarent.* Cui pollicem premit PAREUS scribens: *Oleum illud non erat medicinale alexipharmacum, vel naturale morbi avridor: sed spirituale sanationis miraculose symbolum.* Eandem sententiam adstruere in primis ex professo annisi sunt *Cel. MARCKIUS & Clar. DEYLINGIUS* alique Wolfio, qui & ipse in eandem concedit, ad h. l. laudati. Addunt iidem ex Patribus, miraculosum hunc olei usum, cum dono sanationis extraordinario, aliquot adhuc seculis in primitivâ Ecclesiâ mansisse, indeque & Christianos *ἀεικτας* *Unctores* appellatos esse, hucque in primis verba ADRIANI in *Epistola* apud VOPISCUM in *Saturnino* adplicant: *Nemo illic Archi-synagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes.* Eodem referunt ex TERTULLIANI Libr. ad *Scapulam* cap. IV. *Proculum Christianum Eubodæ procuratorem, qui Torpacion dictus, ipsius Antonini Patrem Severum aliquando per OLEUM CURAVERIT.* conferatur, qui de his dudum commentatus est, eruditissimus LEMOYNE in *Var. Sacr. T. II. p. 38, 39.*

Ab hac miraculose sanationis unctione, alienus quoque non est doctissimus SELDENUS de *Synedriis* Lib. II. cap. VII. sed in eo tamen conjecturam planè singularem fovet, quòd unctio hæc *moribundis, aut mortuis* vel *pro talibus* habitis administrata sit, ex more fortè Hebræorum, mortuorum oculos, quos digitis comprimere nefas censuerint, oleo, ut ultro claudantur, inungentium, aut ad usitatum pollincturæ officium, ex eorundem consuetudine, illis pro morientibus habitis, præstandum.



§. X.

Ab utraque autem sententiâ discedit tam hodierna *Ecclesia Græca*, quàm *Pontificia*, locum de *unctione* quadam *Sacramentarii*, quam animæ vult prodesse, explicans; sed non sine insigni discrimine; dum (ut alia taceamus) posterior eam propriè tantum in salutem animæ ordinatam existimat, & hanc ob causam non nisi in ipsò mortis articulo, ubi spes restitutionis decollavit, extremi viatici instar adhiberi vult: prior contra eandem quoque corpori prodesse posse censet, & sine ullo scrupulo sub ipsius morbi initium, etiam illis qui adhuc ædem sacram invitere possunt, administrari, imò ubi ægrotus convaluit, etiam, novâ datâ occasione, repeti permittit, ut fusiùs docuit HEINECCIUS in *Delineatione Ecclesie Græcæ Vet. & Nov.* Part. II. cap. VI. §. 62. conferatur *Celeb. ELSNERUS* in *Noviss. Descript. Christian. Græcor.* cap. V. §. C. seqq. & in *Continuat.* §. 104.

§. XI.

Ut igitur in tanto sententiarum divortio certi quid statui, unctionisque hujus indoles ex mente Apostoli exactiùs determinari queat, nihil magis proderit, quàm ut in scopum ejus & illorum, quæ cum eadem *Jacobus* conjungit, inquiremus propiùs. Sic enim ex fine, de mediis ad illum attingendum prudenter ordinatis tutissimè judicium ferre licebit.

Scopus hic ex sequelâ atque effectu, quem *Jacobus* inde com. 15. sperari vult, pater: Καὶ ἡ ἐυχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κείμενον, καὶ ἐγείρει αὐτὸν ὁ κύριος: *Et oratio fidei servabit decubentem & eriget ipsum Dominus*, cui respondet com. 16. ὁπῶς ἰαθήτε, ut sanemini.

§. XII.

Mirè quidem in voce κείμενον, etsi Pontificiis minimè favens,

B

vens, sed eos potius oppugnans fluctuat ingenioque indulget, invidendæ ceteroquin doctrinæ Vir, modò laudarus SELDENUS, eam mox de moribundo mox de mortuo, aut pro mortuo habito accipiens. Verùm uti generatim præmonemus, *Jacobum*, illum quem hîc τὸν κάμνοντα appellat, modo proposuisse, ut talem, qui ipse debeat advocare, aut saltem, advocari curare presbyteros, preces pro se futuros, hoc autem neque à moribundo, neque à mortuo, aut pro mortuo habito, fieri posse: ita inprimis observari velim, quòd, licet negari minimè queat, vocem κάμνοντες æquè ac κερμηνοτες, nonnunquam pro mortuis adhiberi, ut præter SELDENUM, BISETUS ad ARISTOPHAN. *Thesmophor.* v. 412. POLLUX *Onomast.* Lib. III. Sect. 106. & ibid. JUNGERMANN in not. docuerunt: moribundi tamen, aut pro mortuo habiti significatio eò planè non faciat, nisi fortè in quantum talis generatim ægrotis annumeratur. Nunquam enim vox κάμνος de moribundo aut pro mortuo habito, κατ' ἐξοχήν, aut distinctè ab aliis ægrotantibus usurparur, sed in hac relatione semper, vel ægrotum, seu ex morbo, sive is lethalis sit, sive non, decumbentem, vel verè mortuum denotat. Rationem utriusque significationis non improbabilem reddit *Claviss. MICHAELIS* in not. ad BENSONUM num. 164. Primum thema verbi esse videri κάμω, unde κάμω & hinc κάμνω factum sit: quod antiquitùs significasse videatur *seclere, curvare*, unde adhuc κάμπω *seclto*. Hinc itaque primum significatum esse κάμνω *incurvo me*, deinde, quia defessi soleant incurvi sedere, idem denotare, quod *defatigari*, inde quia ægrotantes in lecto incurvari soleant, ægrotare, & denique, quia mortui quoque collabantur & incurventur, etiam *mori*. S. *Vener. DEYLINGIUS* monet, κάμνω proprie verbum esse agonisticum, quod *festum esse, defatigari*, ac translàtè demum *desicere* denoret, quòd *nimum festos vires desicant*: deinde μεταφορικῶς usurpari pro *vores* & αἰσθητῶν, *de iis etiam qui cum spe vitæ & sanitatis ægrotant*. Quicquid autem de his sit (in quibus nulla significationis moribundi aut pro mortuo habiti vestigia occurrunt) id saltem

saltem indubium est, nunquam, ut dixi, apud Græcos eo sensu sigillatim, sed vel de *agrotis* generatim, vel de *mortuis* adhiberi. De ultimo jam vidimus. Ad *agrotum* quod attinet, in fragmento ex EURIPIDIS *ÆOLO*, quod servavit ARISTOPHANES in *Thesmophor.* v. 412. 413. & in addendis ad EURIPID. quoque exhibet BARNESIUS p. 517. legitur

KAMNEI κῆρῃ τις εὐθύς ἀδελφὸς λέγει,
τὸ χάμμα τοῦτό μ' οὐκ ἀρέσκει τῆς κῆρῃς.

*Ægrotet virgo quædam: statim frater dicit,
Color hic puella mihi non placet.*

vid. quoque BISETUS ad illum locum ARISTOPH. Ita & PHILO in Lib. de congressu quærend. erudit. grat. edit. FF. A. MDCXCI. p. 431. ὡσπερ γὰρ ἐν ἰατροῖς ἡ λεγομένη λογοϊατρία πολὺ τῆς τῶν ΚΑΜΝΟΝΤΩΝ ἀφελείας ἀποσάτι: quemadmodum enim in medicis, quæ dicitur *Logoiatria*, multum abest ab auxilio *ÆGROTIS* ferendo, & τῷ σώματι ΚΑΜΝΕΙΝ corpore *ÆGROTARE*, PLUTARCH. de pueror. educ. v. §. seq. Hinc & κάματος morbus, apud EURIPID. in *Orest.* v. 315.

ΚΑΜΑΤΟΣ βροτοῖσιν ἀπορία τε γίνεται
Angor animi fit MORBUS hominibus.

Imò non *moribundum* sed quemcunque *agrotum* denotare propius ex POLLUCE patet, qui Lib. III. n. 104. inter *agroti* appellationes græcas recenset τὸν κάμνοντα, sed mox n. 106. quando de *moribundis* aut periculofiori morbo laborantibus agit, aliis planè vocibus utitur. Hinc igitur duæ tantùm significationes *agroti*, aut *mortui*, hic in censum venire possunt, ex iisque una eligenda erit.

§. XIII.

Harum autem primam tantùm Apostoli scopo convenire, ultro patet, quia hic differre ΚΑΜΝΕΙΝ & ἈΣΘΕΝΕΙΝ

alternant. 'ΑΣΘΕΝΕΙ τις ἐν ὑμῖν προκαλεσάμενος τοὺς πρεσβυτέρους
 --- καὶ ἡ ἐκχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα. ÆGROTET quis
 inter vos, advocet presbyteros --- & precatio fidei servabit
 decumbentem. Eadem ratione, uti DEMOSTHENES
 pro Corona p. 347. loco Clar. ELSNERO ad Matth. XXV.
 36. licet aliud agent, jam observato, hæc duo conjungit,
 ὡσπερ ἂν εἴ τις ἰατρός 'ΑΣΘΕΝΟΤΣΙ μὲν τοῖς ΚΑΜΝΟΤΣΙΝ ἑσίων μὴ
 λέγοι μὴδὲ δεικνύοι, ὡς ἀποφεύζονται τὴν νόσον. Perinde ac si quis
 medicus ingressus ÆGROTIS DECUMBENTIBUS non dicat, nec o-
 fendat, quomodo morbo liberari queant, & apud POLLUCEM
 loc. adducto ut synonyma enumerantur verba EKAMNEN,
 ἠπρώσθησεν, ἐνόσθησεν, 'ΗΣΘΕΝΗΣΕΝ, & mox participia, ΚΑΜΝΩΝ,
 ἀββιάσθησας, νοσήσας. 'ΑΣΘΕΝΗΣΑΣ, atque iterum nomina sub-
 stantiva, ΚΑΜΑΤΟΣ, ἀββιάσις, νόσος, νόσημα, 'ΑΣΘΕΝΕΙΑ. Ac-
 cedit quodd additum verbum ΣΩΣΕΙ, SERVABIT, integræque
 locutio ΣΩΣΕΙ ΤΟΝ ΚΑΜΝΟΝΤΑ, SERVABIT ÆGROTUM, hunc
 sensum necessario flagitet.

Non negamus quidem verbum σώζειν de salute æternâ
 usurpari, licet & indubium sit, hunc usum magis Scripto-
 rum sacrorum quam profanorum stilo convenire, verum &
 illud notius est, quam ut fuse adstrui opus habeat, idem
 liberationem ex quibuscunque malis, sive imminentibus sive
 prementibus innuere, atque ita quoque cum derivatis sigil-
 latim de SANATIONE ægroti usurpari. Sic Matth. IX. 20. mu-
 lier hæmorrhoufa dicebat: *Si tantum tetigero vestimentum*
ejus, σωθήσομαι SANABOR. & com. 21. καὶ ἐσώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς
ἁμαρτίας ἐκείνης, & SANATA EST mulier ab hora illâ. vid. & Marc.
 V. 28. VI. 56. Luc. VIII. 26. & passim, conf. Illustris GRO-
 TIUS ad Matth. I. 21. Hinc & MEDICUS Græcis ΣΩΤΗΡ
 dicitur, ut docuit eximium illud græcarum litterarum de-
 cus Joh. ALBERTI in erudit. Observat. ad Matth. IX. 21. &
 in addendis p. 503. & σωτήρια φάρμακα salutaria remedia, PHI-
 LONI JUDÆO pag. 859. & p. 1006. quin & ipsa sanitas
 eidem p. 975. σωτηρία audit. Cum igitur JACOBUS de in-
 firmis aut ægrotis, ut visum, agat, nihil convenientius est,
 quam & hæc SANANDI sensu adhiberi. Inprimis, quia uti me-
 mini

minimum quidem indicium est, unde colligas Apostolum de salute aeternā agere, ita contra integra phrasīs ΣΩΖΕΙΝ ΤΟΥΣ ΚΑΜΝΟΝΤΑΣ, aliās pro ΑΓΡΟΤΟΣ SANARE usurpatur. Nescio quidem an ulla haecenus ejus exempla allata sint, non desunt tamen, operaeque pretium erit, ad illustrationem locutionis Apostoli quaedam subjungere. Sic itaque PLUTARCH. de lib. educ. Opp. II. p. 4. ὡσπερ ἀν εἰ τις ΣΩΜΑΤΙ ΚΑΜΝΩΝ, τὸν οὖν ἐπισημῆν δυνθίντω ἀν ΣΩΣΑΙ, παραλαπῶν, ut si quis CORPORE ΑΓΡΟΤΑΝ, illum qui arte SERVARE valet, relinquens, cet. & PHILO in libr. de Decalogo p. 745. Τούτων τὸν τῶν καὶ ἐν τῇ ἰατρικῇ ἀγαθοὶ ΣΩΖΟΥΣΙ ΤΟΥΣ ΚΑΜΝΟΝΤΑΣ eundem in modum ἔ' medicæ artis periti SANANT ΑΓΡΟΤΟΣ. Eodem facit ἡ ΣΩΤΗΡΙΑ ΚΑΜΝΟΝΤΩΝ SANATIO ΑΓΡΟΤΟΡΟΝ, quam idem plus semel memorat, ut Lib. de Migrat. Abrahāmi pag. 407. καὶ δὲ πρὸς τὴν ΤΩΝ ΚΑΜΝΟΝΤΩΝ ΣΩΤΗΡΙΑΝ ἐπιτελεῖται utendam porrigit ad ΑΓΡΟΤΟΡΟΝ SANATIONEM. & Lib. de Josepho p. 531. καὶ ἰατρὸς οὖκ ἐστὶν ἀλλὰ καὶ θεράπων πρὸς πάντας ΤΟΥΣ ΚΑΜΝΟΝΤΑΣ ἀκ. - - ποιῶναι τὰ ΠΡΟΣ ΣΩΤΗΡΙΑΝ ἔ' medicus non uno erga omnes ΑΓΡΟΤΟΣ utitur remedio, sed - - - hec variat ad SANATIONEM. En easdem cum hac Apostoli locutiones! Et licet illæ ad linguæ græcæ genium satis quadrent, non minùs tamen insuper Judæorum loquendi mori quoque conveniunt, quibus verbum הושיעו servavit, eodem generaliori sensu ut græcorum σώζω, & inprimis quoque sigillatim de liberatione ex morbo, seu sanatione aegroti usurpatur. Sic Hiskias beneficium hoc à Deo exspectans exclamat Jes. XXXVIII. 20. יהוה הושיעני Febova (est) ad servandum me, i. e. ut rectè explicat R. D. K. להושיעני מן המורו ad servandum me ex morbo.

§. XIV.

Idem propiùs confirmat sequens verbum 'ΕΡΕΠΕΙ. καὶ 'ΕΡΕΠΕΙ, ἀντὶν ὁ κύριος ἔ' ERIGET ipsum Dominus. Licet enim ἐγείρειν Scriptoribus sacris & ecclesiasticis etiam de mortuorum resuscitatione adhibeatur, nullum tamen, vel miracu-

losæ alicujus resurrectionis, statim ad preces Seniorum ex-
 spectandæ, ut vult SELDENUS, vel futuræ illius sub finem
 dierum, hic est indicium. Neque prior (inprimis post
 scriptam à *Jacobo* Epistolam) adeò frequens in primitivâ ec-
 clesiâ fuit, ut hic tam generatim, & sine ullâ restrictione pro-
 mitti poruerit, & quando illa etiam contigit, nunquam oleum
 adhibitum fuisse legimus, v. Act. IX. 40. & XX. 10. neque po-
 sterior ab ullâ unctiōe pendet. Generalis enim omnium
 mortalium sine dubio etiam oleo nunquam unctis obve-
 niat, illa autem piorum, semper ut meritum Chri-
 sti præcipuus fructus, & sinceræ in ipsum fidei amplissimum
 præmium, sine ullâ unctiōis conditione promittitur, & in-
 numeri, ante introductam unctiōem ægrotorum in fide sine
 illâ demortui, aut post eandem in Christo obdormientes,
 licet illâ careant, idcirco nullo jure, hoc bono privari que-
 unt. Verùm uti hinc patet, resurrectionis ex mortuis signi-
 ficationem huc non quadrare, ita verbum *ἐγείρειν* erigere,
 sæpissimè ad ægrotorum ex morbo restitutionem innuendam,
 adhibetur, ratione satis manifestâ, quia quemadmodum
 ægotantes decumbere, sic morbo levati mox surgere so-
 lent, unde qui illis opem fert, eosdem erigere dicitur, in-
 primis quia idem haud rarò porrectâ manu fieri solebat.
 Sic Marc. I. 31. de Servatore, socrum Petri febrî laboran-
 tem sanante, dicitur *καὶ προσελθὼν ἤρπεν αὐτὴν*, *κα-
 τήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς*. Et accedens EREXIT ILLAM *prehendens*
manum ejus & IX. 27. de eodem obsessum à morbo liberan-
 te: *Ὁ δὲ Ἰησοῦς καταήσας αὐτὸν τῆς χειρὸς*, *ἤρπεν αὐτόν*.
καὶ ἀνεστή *Jesus autem* ejus *manum* *prehendens* EREXIT
 ILLUM: & SURREXIT, ut & de Petro claudo opem ferente
 Act. III. 7. *καὶ πιάσας αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς ἤρπεν* *παρὰ δεξι-
 μᾶς ἐπέσειδυσεν αὐτοῦ αἱ βάσεις καὶ ὀφρεῖ*. Et *prehendens dex-
 tram* ejus *manum* EREXIT (eum:) *statim autem firmati* sunt
ejus pedes & *malleoli*. Nec minus apud græcos ex morbo
 convalescens surgere dicebatur, unde POLLUX Lib. III.
 n. 108. inter synonyma quibus ægrotus convalescere dicitur,
 numerat *ἀνίστη καὶ ἐξάνιστη*, *surrexit* & *resurrexit*. conf. RA-
 PHEL.

PHEL. not. ex HEROD. ad h. l. Inprimis tamen sine dubio JACOBUS ad morem & loquendi formulas gentis suae respexit, ubi aegrotis opem ferens, adplicatis remediis dicere solebat *Surge à morbo tuo.* vid. quae hanc in rem observat LIGTFOOT. ad Marc. V. 26. & 41. quod & Servator toties, licet potentiori jussu, in aegrotis à se sanatis imitatus est, illis acclamans *Ἐγερσθε καὶ περιπατεῖτε, Surge & ambula.* Matth. IX. 5. coll. Marc. II. 9. Luc. V. 23. & Joh. V. 8.

§. XV.

Denique idem inprimis extra omnem dubitationis aleam ponit, quod ultimo loco com. 16. subjungitur *ἵνα ἰαθῆτε, ut sanemini.* Licet enim Scriptura etiam improprie hoc verbo de sanatione spiritali utatur, æquissimè tamen regulæ hermeneuticæ non solum flagitant, ut non sine necessitate à sensu proprio ad improprium descendamus; sed &, cum visum sit, sermonem hic esse de *infirmis*, & proprie dicto morbo laborantibus, totus orationis nexus atque *συνάφεια* flagitat, ut & hoc de proprie dictâ *sanatione* accipiamus: idque tantò magis, quia & Judæi in eodem argumento, quando de aegrotis agunt, semper verbo *נפך Rapha* & *נפך Nirpa*, cui græcum *ἰάσθαι* exactè responder, uti solent. Adde, ut tantò clariùs pateat, omnia Apostoli verba in hanc aegroti sanationem conspirare, fæque mutuo illustrare, quòd uti hic *σώζω, servare, ἐπέγειν erigere,* & *ἰάσθαι sanari* sibi mutuo subordinantur, ita eadem alias quoque, sensu proprio, de *sanatione aegrotorum* inter se permutari soleant, vid. Marc. V. 28, 29. Luc. VI. 19. coll. Marc. VI. 56. & Matth. XIV. 36. Luc. IX. 42. coll. Marc. IX. 27. & Joh. V. 8. coll. 13.

§. XVI.

Omnibus igitur his in unam summam collectis, luce meridiana clariùs patere existimo, nullam hic *moribundi,*
 aut

aut mortui, vel pro mortuo reputati unktionem, nullam quoque quæ ad salutem animæ destinata sit, sed potius talem, quâ infirmus morbo liberandus sanitatiquè restituendus sit, innui. Atque hinc jam propiùs dispiciendum erit, qualis illa censeatur, an quæ ordinarii remedii rationem habeat, vel quæ miraculosæ sanationis symbolum fuerit, quæque adeò ex duabus commate IX. allatis Virorum doctorum sententiis, alteri præferri mereatur. Ubi lubens fateor, utramque tantà se probabilitate commendare, ut ardua admodum optio, longèque facilius videatur, utramque non levis momenti argumentis adstruere, quàm alterutram solidè satis refutare.

§. XVII.

Ad priorem enim quod attinet, apud omnes in confesso est, antiquioribus temporibus, cum homines simplici victu uterentur & temperantiæ plerumque magis dediti, corpus probè exercebant, & nec tam varia morborum, maximè interiorum, genera darentur, nec ars medica tanto opere exulta esset, oleum atque unktiones inter præcipua tuendæ aut restituendæ sanitatis media reputata fuisse. Unde apud CALLIMACH. in *Hymn. in Apoll.* v. 38. seqq. Apollinis crines oleis stillare dicuntur, hæcque ipsam Panaceam esse, quâ incolumitas præstetur:

Ἄλι δὲ κίμαι θυόεντα πίδαρι λείβασιν ἐλάϊω

Ἰου λίπος Ἀπέλλωνος ἀποσάζουσιν ἔθειραι

Ἄλλ' αὐτὴν πανάκειαν ἐν ἄσει δ' ἦ κεν ἐκείνας

Πρωῶτες ἔραζε πύσσιν, ἀκηγία πάντ' ἐγένοντο

Capilli verò ODORIPERIS in terram stillant OLEIS.

Non adipe crines Apollinis stillant,

Sed ipsa PANACEA. In urbe autem quacunque ille

Gutta deciderint, OMNIA INCOLUMIA REDDUNTUR.

vid. ib. III. SPANHEMIUS in not. Et Ægyptiorum prisco sæculo unus & communis erat olei usus ad omnes morbos sanan-

dos, ut ex GALENO, ad nostrum JACOBI locum mo-
 nuit MICHAEL SERVETUS, & ex eo *Scriptor Anonymus*
 in *Bibl. Bremens.* Class. I. pag. 755. Maximè autem in reli-
 quis quoque calidioribus regionibus, & imprimis in Cana-
 ane, ubi vix unquam tantum studii atque diligentiae, quan-
 tum quidem apud alias gentes, arti *laxiq;* infusum viderur,
 illo frequenter utebantur, idque non tantum ad *sananda vul-*
nera, Jof. I. 6. & Luc. X. 34. sed & adversus alia plura in-
 commoda: quod tantò minus mirum, quò præstantius terra
 hæc ferebat, v. Ezech. XXVII. 17. coll. Deut. VIII. 8. quo-
 que magis corpori, maximè in tractu calidiori, prodest,
 dum vires conservat, & reparat, nimias exhalationes impe-
 dit, circulationem sanguinis promover, cutem & fibras ni-
 mis rigidas emollit, harumque extremarum resistantiam ad-
 versus cordis impetum minuit, dolores lenit, integrumque
 corpus corroborat & reficit, ut adeò illic meritò pro PANA-
 CEA quadam habeatur, v. SCHEUCHZERUS in *Physicâ S.*
 ad Psalm CIV. 15. & ad hæc Jacobi verba, conf. quæ ex
 CLEM. ALEXANDR. & HIER. BARDI attulit J. A.
 SCHMIDIUS *Diff. Hist. Theol. Diff. III. §. XXX. v.* & Cel.
 DEYLING. l. c. & LE CLERC *Histoir. de la Medic. P. III.*
 Lib. II. c. I. Utebantur illo vel nudo vel vino, sale, aut aliis
 rebz mixto, v. Luc. X. 34. & mox dicenda. Quòd si quæras
 quale oleum hic & Marc. VI. innuatur, nihil quidem in eo dif-
 ficultatis esset, si pro re natâ etiam aliud adhibirum statuas,
 sed videtur tamen propriè simplex olivarum intelligi, quia
 illi propriè generalius nomen convenit, eidemque omnes
 illas virtutes laudari Scriptores tribuunt, conf. SCHMID.
 §. XIV. Adplicabatur autem per *unctionem* s. totius corporis
 s. partis adfectæ. Huc faciunt quæ LIGHTFOOTUS ob-
 servat ex *Talm. Hieros. Berach. f. 3. col. 1. coll. Schabbat f.*
14. 3. Dicit R. Simeon ben Eliezer: Permissit R. Meier vinum
atque oleum miscere, atque ægrotos ungerè Sabbatho. At cum
ipse ægrotaret idemque illi facere vellemus, non permittit, & in
Talmude Babyloni. Foma f. 77. 2. Prohibitum est (sc. in Sabbatho,
 ubi opus facere non licet) *ungerè partem corporis æquè ac*

C

totum

totum corpus, at si agrotet aut capiti oboriatur scabies, un-
 gatur pro more. coll. Hieros. Maaser Scheni f. 53. col. 3.
 Quae posteriora loca idcirco tango, quia simili remedio Ale-
 xandri exercitum in Indiâ eodem morbo sanarum in-
 venio, apud CURT. Lib. IX. Cap. X. Hinc adversum su-
 wen subiit classis, & altero die adpulsa est haud procul lacus
 salso, cujus ignota natura plerosque decepit temere ingressos
 aquam. quippe SCABIES corpora invasit, & contagium morbi
 etiam in alios vulgatum est. OLEUM REMEDIO FUIT. Alium
 locum ex Midrasch Cobeletb attulit dignissimus laboris Light-
 footiani continuator Clariss. SCHÖTGENIUS Hor. Hebr. in
 Epist. Jacobi: Chanina Fil. fratris R. Jehosebuae ad hunc pro-
 fectus est Capernaum: haeretici verò fecerunt ipsi aliquid (per
 incantationem) ut die Sabbathi asino vectus civitatem ingre-
 deretur. Venit ad ipsum consanguineus ejus R. Jehosebua,
 & UNXIT ILLUM OLEO, ET SANATUS EST. Ita quoque in Avoda
 Sara nonnulla tangunt incommoda, ut ulcus putridum in ore,
 Graecis σμηδαίνω Rabb. מַשְׁמַדָּיָה dictum, morbum aurium
 cet. in quibus membra aegra oleo olivæ cum sale, aut alio
 oleorum genere delibuta fuere, conf. EDZARDI Avoda
 Sara Cap. II. p. 54. seqq. & not. p. 372. seqq. Inprimis
 quoque hic conferri iterum meretur PHILLO Lib. de Legat.
 ad Cajum. p. 1030. narrans, quòd, cum Rex Agrippa gravi
 sopore correptus, nec sui per integrum diem & partem se-
 quentis satis compos, ægrum caput attollere inciperet, me-
 dici iusserint turbam secedere ἵνα δι' ἀλειμαίων, καὶ τροφῆς καὶ
 εἰλαιῶν, τὸ σμῆματιον ἀνακτῆσονται, ut unctionibus & cibo tempesti-
 vo corpusculum rescicerent. Similem ægrotorum unctionem
 oleo apud alias gentes factam extérisque Scripioribus memo-
 ratam hîc non tango, cùm non magnopere ad Apostoli scop-
 um faciar, interim de eadem, cui volupe est, consulere
 poterit Scriptores WOLFIO in Cur Crit. ad Marc. VI. &
 hunc Jacobi locum, laudatos, nec non DEYLING. loc-
 excitar. conf. & LE CLERC. Hist. de Medic. l. c.
 Quod si igitur indubium sit, eam tum temporis, inpri-
 mis inter Judæos, pro regionis indole, in usu fuisse, salu-
 bris.

brisque reinedii in multis morbis rationem habuisse, discipuli autem eadem ad sanandos ægrotos usi fuerint, & Apostolus eundem in finem illam commendat, difficile admodum viderur, illi vim naturalem planè denegare. Inprimis quia non solum, ubi ordinaria media superunt ad extraordinaria minimè confugiendum, cum Deus vi sapientiæ simplicissimo modo, nec unquam frustra agat, sed & necessariò alterutrum statui deberet, vel quòd Discipuli nullos istiusmodi ægrotos unguendo sanaverint, quibus unctioe medela adferri poterat, nec ad tales quoque consilium Apostoli spectet, vel quòd in talibus medium hoc naturalem suam vim perdidit, omniàque immediatè miraculo facta sint. At neutrum horum cum ratione adfirmari poterit. Non prius, quia sine ullo discrimine de discipulis dicitur Marc. VI. 13. *Et eiecerunt multa demonia, & unxerunt multos infirmos atque sanarunt:* Servatorque illos ad omnes (sine discrimine) morbos atque infirmitates sanandas miserat Matth. X. 1. JACOBUS autem sine restrictione ait: *Ægrotat quis inter vos, advocet Presbyteros, & ungant decumbentem oleo.* Nec posterius, quia id non solum temerè & sine sufficiente ratione fingeretur, sed & geminandum sine ullo fundamento foret miraculum, dum non minus requiretur ad naturalem facultatem huic medio demendam, quam sine illo juvandum, denique & hoc cum Dei sapientià non facile conciliaretur, cum quod fieri potest per pauca, frustra fiat per plura.

§. XVIII.

Non tamen hæc eò à me urgentur, ac si omnem à discipulis præscriptam, vel ab Apostolo præscriptam sanationem, ad solas causas naturales hisque infitam vim restringendam, nec quicquam in illa extraordinarium aut miraculosum agnoscendum censcam. Nam & hoc satis tutò adfirmari non posse viderur.

1. Quia, uti MARCUS & JACOBUS generalitè loquuntur.

quuntur, nec sermonem ad certa morborum genera restringunt, ita cogitari cum ratione nequit, idem unctionis oleo factæ medium adversus omnes morbos naturali vi suffecisse.

2. Ad discipulos quod attinet, in illis disertè *sanatio aegrotorum* cum *ejectione Dæmonum* conjungitur, cum igitur illa sine dubio non absque miraculo, & vi plus quàm naturali facta sit, eadem ab hoc quoque planè seungi non poterit.

3. Servator disertè dicitur *discipulis dedisse potentiam* & *facultatem in omnia Dæmonia* & *ad sanandos morbos* Luc. IX. 1. & inter varia dona, in communè Ecclesiæ commo- dum nonnullis præ aliis concessa, numerantur quoque *ædificatio* *laudem*, *dona sanationum* 1 Cor. XII. 9, 28, 30. quid autem in eo eximium, nisi ad ordinaria media etiam extraordinaria quædam vis ægris sanitatem restituendi accesserit? Certè si omnes sanationes naturali olei vi, & unctionis eodem factæ virtute, securæ fuissent, nihil hic in discipulis singulare, neque ulla ratio foret, cur dona hæc quibusdam adeo priva, nec ab omnibus eodem medio adhibito exteri potuissent.

4. Licet lubens fatear, non satis certò constare, quantum miraculose sanationis donum in primitivâ Ecclesiâ continuatum sit, nec omnia quæ hac de re imprimis post tria priora secula narrantur, ejusdem fidei esse, quin & nonnulla sequentibus seculis jam de *consecratione olei*, in hanc usum, per propriè dictum episcopum antea factâ, de *unctione in formam crucis*, cet. admisceri, quæ gliscentem superstitionem arguant, non tamèn etiam omnia, quæ JUSTINUS MARTYR, IRENÆUS, TERTULLIANUS aliique de tribus prioribus seculis testati sunt, & quorum præcepta retigerunt JOH. ANDR. SMIDIUS *Dissert. laudatâ* & *Celeb. DEYLING. Observat. l. c.* cum ratione negari facilè poterunt.

Quæ cum ita sint, convenientissimum existimo, utramque

que sententiam conjungere, ita ut unctionem hanc tanquam aptum remedium ad obtinendam, si Deo illi pondus addere placuerit, sanationem adhiberent, ejusque idcirco adjuatricem gratiam precibus efflagitarent, ubi verò remedium hoc sufficiens non erat, ab immediata Dei virtute optatum eventum expectarent. Quo pacto difficultates ab utraque parte moveri solitæ, facillimè tolluntur, omniâque blandè conspirant. Unde miratus sum, quos evolvi Scriptores passim omnes pro alterutra tantùm sententiâ, acsi altera cum alterâ consistere nullo modo posset, pugnare, donec tandem cogitationibus meis jam in ordinem redactis, & ad prelum ex parte paratis, illum potentem in Scripturis, subactissimique judicii Theologum J. COCCEJUM in Comment. in *Epist. Jacobi* consulens, non sine singulari voluptate deprehendi, eum in hac sententiâ dudum præivisse, dum breviter, sed nervosè, tam de hac unctione, quam universo dono sanationis scribit: *Pertinet autem unctio hæc ad χάρισμα ἰαμάτων* SIVE SPIRITUS DEI VELIT MIRACULUM FACERE IN ÆGROTANTE, SIVE ORDINARIIS REMEDIIS VELIT ÆGROTUM SANARI. *Discipuli Christi oleo ungebant multos ægrotos & sanabant* Marc. VI. 13. *Sed non semper facit Spiritus Sanctus miracula. Legimus Euphroditum ægrotasse: sed non legimus eum per miraculum sanatum esse.* u. r. l. conf. idem ad 1 Cor. XII. 9. Neque quicquam in eo est difficultatis, aut minor ex sanatione intervenientibus mediis, quam per miraculum, in Deum redundat gloria. Non enim minùs Deus ipsâ mediâ produxit, ad hunc finem necessaria vi instruxit, ordinavit, appositum tempore adplicari curat, optatumque effectum indulget, quam per miraculum immediatè actuosus est. Unde rectè PHILO lib. II. de *Legis Allegor.* p. 93. ait: *Διὰ τοῦτο εἶμαι καὶ ὕγιανον μὲν τὴν ἀπλὴν ἢ ἐν προαγγελταῖς νόσοις ἐν τοῖς σώμασιν; ὁ Θεὸς χαρίζεται δὲ ἑαυτοῦ μένου. τὴν δὲ γινωσκόμεν κατὰ νόσου φύσιν καὶ διὰ τέχνης καὶ διὰ λατρικῆς ἐπινοήσασθαι καὶ ἐπισημῆν καὶ τεχνίτην τῷ δοκῶσι πρὸς ἀλλοθῆσαν ἀνοσῶς καὶ διὰ τούτων καὶ ἀνοσῶς τούτων ἰαμένους.* i. e. ex veris. **GELENI:** *Proinde sic opinor: sanitatem meram quam nullus morbus præcessit in corpore; Deum per semet solum largiri.*



*liberationem autem à morbo ETIAM PER ARTEM ET MEDICINAM: dum finit & à scientiâ & ab artifice nos juvari in speciem, IPSE SANANS VEL PER HÆC, VEL CITRA HORUM OPERAM CONF. & SIRACH. cap. XXXVIII. i. feqq. Eodem non male quadrat quod in *Falkut Chadafeb* f. 72. col. 3. ex *Sobar Chadafeb**

*adducitur: כל הרפואות שבעולם הם של הקב"ה אלא ששקצתן ע"י שליח וקצתן ע"י הקב"ה בכבודו ובעצמו Omnes sanationes, quæ in mundo eveniunt sunt à Deo S. B. sed quædam earum per manum legati, quædam autem per manum ipsius Dei S. B. ad ejus gloriam, & non committuntur legato. Quin ipse Deus nonnunquam apta media adhiberi curavit, ut in sanatione HISKIÆ, per Prophetam JESAIAM, cataplasma ficuum *Jes. XXXVIII. 21.* at nihilominus pius rex rectè restitutionem ex periculo morbo, ipsi Deo tribuebat, ejusque auxilium grato ore celebrabat. *ib. com. 15. feqq. coll. Psalm. CXVI.* Atque hinc omnis effectus quoque meritò hic non externo medio, sed DOMINO, intervenientibus precibus adscribitur, *oratio fidei servabit decumbentem & Dominus ipsum eriget.* Non obstat quoque, quòd hic sub emblemate olei non male existimant Spiritum S. cujus id perpetuum in sacris emblemata esse solet, representari. Non enim id minus locum obtinere potest, etiam in talibus casibus, ubi oleum & apti medii rationem habebat, quia idem Spiritus erat, qui *κατ' ὄνομαζον, charisma sanationis*, tam per media quàm sine illis, operabatur *1. Cor. XII. 9.**

§. XX.

Non igitur est, ut quis quærat, quare ad ordinarium medium adplicandum, Presbyteri Ecclesiæ advocari debuerint? Ex dictis enim responsio in promptu est. Scilicet
 1. Antiquitatis uti Sacrorum Antistites omnis generis scientias præcipuè tractare solebant, ita & medicina in primis operam dabant, ut apud *Ægyptios PASTOPHORI*, apud *Gallos*

Gallos DRUIDES apud Græcos SACERDOTES ÆSCULAPIJ, ut docet Clariss. SCHULTZIUS in *Hist. Medic.* Period. I. Sect. I. cap. III. §. 3. seqq. & cap. V. 32. nec non Sect. II. cap. IV. §. 28. seqq. Apud *Judeos* autem non solum extraordinarii Doctores seu Prophetæ, de his quoque consulebantur, nonnunquam & consilia suppeditabant, ut in exemplo ELISÆ 2 Reg. V. 3. seqq. & JESALÆ, 2 Reg. XX. 7. & Jef. XXXVIII. pater, quamvis tamen id propriè in extraordinariis casibus locum habuerit, Deusque ipse per Prophetas consultus fuerit, hique responsa dederint. conf. 2 Reg. I. 6. & VIII. 8. verùm & ad Sacerdotes hanc proximè curam spectasse, ex demandatâ illis quorundam morborum, ut inprimis *Lepræ*, cognitione, non malè colligitur, v. Clar. SCHULTZIUS cap. V. §. XXXVIII. Et licet feriores Scriptores Judæici, pro ratione terrarum quas inhabitabant, etiam medicorum qui hanc artem ex professo tractant, tam Christianorum quàm gentis suæ, mentionem injiciant, in plerisque tamen supra §. XVI. adductis locis, in quibus de rebus templi II. aut non longè post agitur, istiusmodi ægrotorum unctio à Rabbinis peracta legitur. Ut ad eò mirum non sit, si & eâ ætate Doctores Ecclesiæ Christianæ eadem partes hinc demandentur, inprimis quia & ipse Servator illas antea Apostolis commiserat. Marc. VI. 13.

2. Accedit quòd cum nonnullæ sanationes extraordinario modo, & per miraculum fierent, ad hoc munus merito non alii advocarentur, quàm quibus Evangelii præconium, & cum illo quoque *χρησισμα ἰασησων* donum sanationum divinitus commissum.

3. Denique cum unctio huic jungendæ essent preces pro ægrotis, ad impetrandum salutarem effectum, ad nullos hoc opus propius spectare poterat, quàm illos, quorum est Ecclesiæ in precibus præire.

§. XXI.

Fieri autem hæc unctio debebat *ἐν ὀνόματι Κυρίου* in nomine Domini.

Domini. Ubi supponimus ut satis notum, quòd Dominus hic, nullus alius sit, quam consummatus per perpeſſiones Servator, unus ille Dominus 1 Cor. VIII. 6. quem Pater per exaltationem *ἐξήραν ναὶ Χριστὸν* Dominum & Christum fecit Act. II. 36. rum quoque quòd in ejus nomine agrotum ungeri, involvat, id ejus jussu, auctoritate & fiducia in ejus meritis atque promissionibus reposita peragere. Inprimis autem observamus hoc egregie convenire relationi, quam ipse in negotio gratiae habet, ut Ecclesiae Dominus, ut praesidium ministrorum à se missorum, ut fons atque causa meritoria omnium gratiae donorum, & inprimis ut fidus Pontifex, qui tentatus est ubique ut possit una dolere cum nostris infirmitatibus, & juvare illos qui tentantur. Heb. II. 17, 18. & IV. 15. imò qui & ipse morbos suorum tulit, & dolores ipsorum bajulavit, & propter defectiones ipsorum vulneratus est, ut non solum à morbis animae, sed & incommodis corporis eos liberare possit. Quod posterius uti ex Jes. LIII. 4. 5. quoque deducitur Matth. VIII. 17. ita & Veterem Ecclesiam judaicam agnovisse ex laciniis Doctrinae ejus in Rabbinorum scriptis servatis non obscure colligere est, dum & ipsi inculcatis & ex Jes. loco adducto probant eum infirmitates & castigationes Israëlis, quibus morbos annumerare solent, ferre, sicque ab iisdem liberare, vid. loca à Clariss. SCHÖTGENIO *Hor. Hebr. & Talmud. in Theolog. Judaeor. Dogmat.* p. 183. seq. 550. seqq. 651. seqq. adde *Falkut Chadaſch* f. 73. 2. f. 114. 1. & f. 154. 4. & f. 155. 1. Atque hinc eundem quoque non solum medicum potentem appellant, sed & Deum omnia bona quae largitur, propter ejus meritum largiri testantur, vid. loca apud eundem *Cl. SCHÖTGENIUM*, p. 655. coll. 652. Sic igitur ejus nomen verè olei effusi rationem habet, ut de ipso sponsa exclamat Cant. I. 2. Atque hinc primi Evangelii praecones nomen hoc non solum solemnitè in sanationibus nuncupare, illique earum gloriam unicè tribuere solebant, v. Act. III. 3, 16. IV. 10, 20. sed & alii idem, inprimis in ejectione Daemonum, five intentione non planè culpanda, Marc. IX. 38. five nefario ausu imitabantur.

bantur. Aët. XIX. 13. Ceterum non incongrua planè est
 observatio SAUBERTI in *Opp. Post.* p. 253. R. WOLFIO
 quoque probata, quòd Jacobus hanc nuncupationem nomi-
 nis Domini precibus junctam opposuerit superstitioni eor-
 um, qui artibus magicis, amuletis & præcipuè incanta-
 tionibus atque musitationibus certorum verborum morbos
 sanare quærebant. Dudum id ab ipso *Æsculapio*, ab *Ægy-
 ptiis*, à *Pythagoreis* factitatum, imò apud plerasque orientis
 æquè ac occidentis nationes obtinuissè, post DAV. CLERI-
 CUM in *Hist. de la Medicine* docet *Clariss.* SCHULTZIUS
 Period. I. Sect. I. cap. III. §. 46. Sect. II. cap. II. §. II. & 12.
 & cap. VII. §. 28. quid quod, ipsum severum CATONEM
 ab hac dementia immunem non fuisse, idem Period. II. cap.
 VI. §. 16. ostendit. Inprimis verò Judæi, ut multis aliis su-
 perstitutionis generibus, ita & hoc fascinati erant. De ipso
 Salomone id non solum JOSEPHUS, eodem SCHULTZIO
 monente, tradit, sed & quod huc proximè facit, Judæi
 etiam sequentibus temporibus tales *musitationes unctio-
 nis* jungere solebant, unde in *Talmud. Hierosol. Maaßer
 Sobeni* observante jam LIGHTFOOTO ad Matth. VI. dicitur
 וְרוּחַשׁ לְרוּחַשׁוֹ וְרוּחַשׁוֹ לְרוּחַשׁוֹ ille qui
musitat, det oleum super caput & musitet. v. ejusdem Index
Talmud. Hierosol. p. 51. & 53. nec non EDZARD. *Avod.
 Sara* cap. I. p. 269. & 270. Imò idem illos discipulis Serva-
 toris adscribere ex *Hierosol. Schabbat* f. 14. col. 4. ibid. docuit
 LIGHTFOOT. Verum uti id nudè & sine omni funda-
 mento adferunt, atque adèd jure pro merà calumnià judai-
 cã habetur, ita vel ad confirmationem veritatis historicae,
 horumque verborum Jacobi illustrationem observari mere-
 tur, quòd, ipsis Judæis fatentibus, Servatoris discipuli in no-
 mine *Jesu agrotos sanaverint.* Eodem facit quod illic ex
 eodem loco subjungitur: מעשה בר אלעזר בן רמא שנשכו
 ברוש ובה יעקב איש כפר סמא משם של ישו פנידרא
 ; ושמעאל; *Accidit, ut R. Elieserem*
 D F.



F. Dama mordevet serpens: Vevit Jacobus Capbarsamæus in nomine Jesu Pandivæ, ut eum sanaret, sed non permisit id R. Ismaël. Sic vel ipsi hostes sæpe, licet non sine malignis detorsionibus, veritati testimonium præbere debent! Et forsân ipsas preces monente Apostolo unctiõni jungendas, Judæorum malitia *missitationum* nomine insignivit.

§. XXII.

Circa has preces tria potissimum observanda habeo.

1. Eas ut præcipuum medium considerari ad unctiõnem efficacem reddendam, unde non solum statim ab Apostolo in initio memorantur: *PRECENTUR SUPER ILLO, postquam illum oleo unxerint*, sed & mox additur, *ET ORATIO FIDELI* (nullâ hic denuò subjunctâ olei mentione) *SERVABIT ÆGRO- TUM.* Ex quo patet, etiamsi oleum naturali vi sanandi pol- leret, non tamen inde ægroti restitutionem, sed à benigni- tate & potenti auxilio ejus, qui in precibus adeundus, & tam medium hoc efficax reddere, quàm & sine illo imme- diatè, ubi morbus id flagitaret, sanitatem largiri posset, Spi- ritusque sub oleo simul repræsentati adjunctrice gratiâ, exspe- ctandam esse. Unde ultrò sequitur, precum igitur harum summam fuisse, hoc beneficium, sive per hoc medium, sive etiam absque illo, piè efflagitare. At cum non solum omnes morbi æquè ac reliqua hujus vitæ incommoda, ge- neratim peccati sequelæ sint, sed & quidam, ut mox vide- bimus, ob certa quædam peccata figillatim immittantur, & Apostolus dein, ut earundem precum effectum subjungat, *Et si peccata fecerit, remittentur illi*, dubitari nequit, pec- catorum quoque gratiosam remissionem iisdem precibus simul expectatam esse.

2. Apostolus quidem vult Presbyteros super ægrotis preces fundere, quod & hoc inter Judæos receptum, quo- rum Antistites & Doctores non solum in ipsâ Synagogâ hoc officio defunguntur, sed & eandem obcausam ad ægro- tos invisere solent, ut fusè docet BUXTORF. *Synagog. Judaic.*

Judaic. cap. XLIX. & imprimis Presbyterorum Ecclesiæ Christianæ muneris, & collato sanationis dono maximè conveniebat, tum verò ipsorum ægrotorum status atque conditio omni tempore perutile facit, cùm eorum multi sæpe ad id per se inepti, multi quoque morbi vehementiâ facilè impediri queant. Interim cùm Apostolus ægrotos jubeat advocare presbyteros, satis clarè innuit, ut com. VIII. jam monuimus, illos hic minimè ut otiosos spectatores considerari, sed cùm eorum propriè res ageretur, in hoc opere quoque simul occupatos esse, & animo ritè præparato præeuntes in precibus presbyteros pio ardore calidisque votis sequi atque comitari debere. Quod & alias in precibus ab antistitibus Ecclesiæ, audiente coetu, fundi solitis, & ab omnibus subjuncto *Amen* confirmatis, obrinebat 1 Cor. XIV. 14, 15, 16.

3. Denique cùm statim preces has *ἰσχὺν πίστεως* *precatio-nem fidei* appeller, dubitari nequit, harum quoque præcipuum requisitum fuisse, ut *in fide* funderentur. Quæ fides generatim quidem illam Christi merita apprehendentem, inque ejus nomine quoque preces fundentem, non incommodè denotare potest, at imprimis tamen, ex ipsius Apostoli verbis cap. I. com. 6. hic piam illam immorâmq; fiduciam innui existimo, quæ divinis nixa promissis, non dubitat, preces, secundùm voluntatem Dei fufas, gratiosè ab ipso auditum iri.

Pleraque hæc luculenter iterum Doctrinæ Veteris Ecclesiæ judaicæ conveniunt, ut ex reliquiis quæ ad nos pervererunt, elucescit. Licere quidem uti mediis, sed a Deo ramentum dependere, ut efficacia sint, eamque ob causam ægrotum id in precibus à Deo quærere debere, tum quoque illum rectè Doctoris alicujus intercessionem expetere, sed imprimis fiduciam in Deo collocare debere, tam egregiè in *Sepher Sebene Luchoth habberith* commendatum invenio, ut non possim non integrum locum tecum B. L. communicare. Ita autem scribit Autor Part. I. f. 85. b. וכשהוא זורק וזרקה אליו את כל יצטרך לרופא זולתי אם יתא לו טבע

רעוע דאס יצטרך לו אע"ף שהתירו שישאלו ממנו עצה
 כאמרם ז"ל ורפא ורפא מכאן שניתן רשות לרופא לרפאות
 ותפלל לפני הש"י ויצעק ויתחנן לו והוא ישמע תפלתו
 וגם ילך אצל חכם שיתפלל בעדו כדאמרין (בפרק
 יש נוחלין) דרש ר' פנחס בר חמא כל מי שיש לו
 חולה בתוך ביתו ילך אצל חכם ויבקש עליו רחמים
 שנא חמת מלך מלאכי מות ואיש חכם יכפרנו ועל
 כלם ישים אדם בטחונו ככורא עולם אשר בירו
 הכריאות ולרפות החולאים כמ"ש אני ה' רופאך:

*Quòd si hæc observet, (quæ nempe de sanitate tuendâ monu-
 erat) non opus habebit medico, præterquam si natura ejus in-
 firma sit: Quòd si eo opus habeat, licet permittant ab eo consi-
 lium expetere, quemadmodum dixerunt (Rabbini) pie memo-
 riæ (occasione verborum Exod. XXI. 19.) & sanando sana-
 bit, unde eliciunt, quòd facultas data sit medico ad sanandum,
 (conf. Aben Esya ad h. l.) PRECETUR TAMEN CORAM DEO
 BENEDICTO, CLAMET ET SUPPLICET ILLI, & ipse audiet preces
 ejus. Tum quoque vadat ad SAPIENTEM UT PRO SE INTER-
 CEDAT, quemadmodum dicimus (in Bava Batbra cap. VIII.)
 Docuit R. Pinchas Fil. Chamma: cuiusque est agrotus in
 ede suâ, vadat ad SAPIENTEM, UT IPSE PRO EO MISERICOR-
 DIAM IMPORET, quemadmodum dicitur (Prov. XVI. 14.)
 ira regis est (ut) nuncii mortis, sed Vir sapiens placabit illum.
 Ante omnia autem COLLOCET HOMO FIDUCIAM SUAM IN
 CREATORE MUNDI, in cujus manu est servare creaturas &
 sanare agrotos, quemadmodum scriptum est, (Exod. XV.
 26.) EGO JEHOVA SUM MEDICUS TUUS.*

§. XXIII.

Hinc autem jam ultro pater, quomodo *precatio fidei*
servare dicatur *decumbentem*. Scilicet non ut opus ali-
 quod meritorium, id enim universæ indoli negotii gratiæ,
 & rationi quoque gratiiti beneficii repugnar, multo minus

ut

ut medium physicum, sed ut medium morale, ab ipso Deo
 convenienter ejus perfectionibus ordinatum, hocque præmio
 gratiosè coronandum. Requirebatur autem eum in finem
 primùm quidem fides in illo, cujus ope ægrotus sanandus.
 Unde cum Apostoli aliquando interrogarent, quare ipsi non
 potuerint ex puero sibi oblato ejicere dæmonium, Servator
 respondebat, *διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν, propter incredulitatem ve-*
stram. Matth. XVII. 19, 20. At vix tamen Dei perfectioni-
 bus, nedum viis, quas servare solet, conveniens videret, ob
 alterius fidem solum alterum servare, cum beneficia potius
 soleant ut gratiosâ propriæ fidei præmia spectari. Unde
 ex eodem principio, quod modo com. XXII. n. 2. demon-
 stravimus, accedere debebat ipsius ægroti fides, quod &
 ipse Servator infirmos sanans toties disertis verbis confir-
 mat, exclamans ἡ ΠΙΣΤΙΣ ΣΟΥ *obediens est: FIDES TUA serva-*
vit te. v. Matth. IX. 22. & Marc. X. 52. Quin imò, uti ex iis
 quæ ibidem n. 1. monuimus, patet, preces has quoque cum
 petitione remissionis peccatorum fuisse conjunctas, ita ul-
 trò sequitur, in ipsis ægrotis idem votum, cum necessariò
 præcedente peccatorum agnitione atque sincerâ conversio-
 ne, supponi debere. Quod ipsum Judæi iterum rectissi-
 mè quoque inculcant, nullam dicentes intercessionem, ne
 ipsorum quidem Prophetarum locum habere posse, abs-
 que conversione. Digna sunt, quæ hic adferantur verba ex
Sepher Chafidim fol. 86. a. כל הנביאים קורין שהיו

מתפללים על ישראל היו ישראל מבקשי לנביאים
 שתפללו עליהם והנביאים היו אומרי תעשו תשובת
 ותתפללו עליכם - ואם שומע לו אז מתפלל עליהם
 וחוקרו ברו הוא עונה אותן וכל מי שאינו עושה
 בזה הענין אסור לעבור להתפלל בשביל ישראל:

Antequam ulli Prophetæ intercederent pro Israëlitis, Israëliti-
ta id ab ipsis efflagitârunt: Prophetæ autem dixerunt, con-
vertimini & intercedemus pro vobis. --- Quod si dicto-
audientes essent, eum (Propheta) intercedebat pro illis.

Et quisquis rem non ita instituit, illi interdictum est intercedere pro Israele. Ubi in transitu quoque observa, exigi, ut quæ alterius intercessionem desiderat, illam ab eodem expectat, eodem modo, uti hic Apostolus vult, ut ægros advocet Presbyteros, quoniam beneficium invito non obtrudendum, & hæc cura inprimis debitæ dispositionis animi signum esse debet. Conferri hic merentur, quæ *Claviff. HEISEN*, *Collega noster honoratissimus in Novis Hypothesebus interpretandæ hujus Epistolæ Jacobi*, quibus præcipua primorum quatuor capitum loca, insigni doctrinæ adparatū illustravit, p. 248. seq. rectè monet: *Sibi videri ægrotantibus præcepisse Apostolum, ut Presbyteros accerserent, quod certiores hi fierent, se ipsis non invitis accessuros esse.* Nec de nihilo est, quod ex hypothesi, alienatos a presbyteris ceteris Christiani ducibus videri eorum, ad quos scribebat, animos fuisse, subjungit: *At verò morbi, nuncii mortis eamque sequentis divini judicii, aliam iis, qui de veritate christianæ religionis in conscientiis suis convicti erant, indere mentem poterant, cet.* Quod autem modo de conversione monuimus, id tantò rectiùs addi censemus, quo arctiùs eam Servator Ipse, cum beneficio sanationis a morbo conjungit, dicens paralytico Joh. V, 14. *Ecce sanatus es, ne pecca amplius, ne quid pejus tibi obveniat.*

§. XXIV.

Hoc servatoris monitum, adhuc lucem scenerabitur sequentibus Apostoli verbis, *Et si peccata fecerit, remittetur illi.* Sic verba propriè sonant, sed cum neutro quidem plurali apud Græcos respondere soleat verbum singulare non autem aded sceminino, quale est *ἀμαρτίας*, hærent in hac constructione Interpretes, & nonnulli quidem cum *Illustr.* GROTIUS, pro singulari *ἀμαρτίας* remittetur legunt *ἀμαρτιῶν* remittentur, verùm uti hoc simplicissimum foret, si de hac lectione certò constaret, ita codicum quibus eâ nititur, neque is numerus, neque tanta Auctoritas est, ut

ut eam satis tueri queant. Alii igitur non tam ad vocem hic adhibitam, quam ad rem voce indicatam respici volunt, alii verò singulare *ἀπέθῆκεται* non ad vocem *ἀμαγρίας* peccata, sed ad totam phrasin præcedentem, seu ad τὸ *πεναι- νέσαι ἀμαγρίας*, ad τὸ *facere peccata* referunt. Verùm omnium forrè convenientissimum est, ut Apostolum morem loquendi gentis suæ aliorumque populorum Orientalium imitari statuamus. Apud hos enim sæpius nominibus pluralibus utriusque generis, verbum singulare jungitur, quod per distributionem fieri, ut unumquodque illorum de quibus sermo est, innuatur, plerique censent. Et sanè sunt exempla, ubi illa commodè locum habere potest, sed non desunt tamen etiam, ubi res secus se habet. Attulit eorum jam nonnulla GLASSIUS Lib. III. Tract. III. Can. LII. ut Genes. XXXV. 26. Hi sunt filii Jacobi אשר ילד לה *qui natus est ipsi*, pro *qui nati sunt ipsi*. Exod. XXXI, 14. כחללתי מות וומת *profanantes illud* (nempe Sabbathum) *moriendo morte adficietur*, pro *adficietur*. Adde Joël I. 20. בהמורה הערוג *bestiæ clamat*, pro, *clamant*. & Job. XXII. 9. ורועות יהומים *& brachia orphanorum contritum est*. Apud Arabes imprimis id usitatissimum est, accedente insuper nonnunquam enallage generis, unde HOTTINGERUS in *Exam. historia Creationis*, & KROMAYER. *de Usu Ling. Arab.* Lib. I. cap. V. & ad Job. loc. adduct. in talibus Arabismum agnoscunt, verùm cum & in cod. Vet. instrumenti non pauca exempla occurrant, rectius utriusque linguæ communia stantur. Sic igitur Jacobus quoque hunc linguæ populi sui & aliorum orientis genium imitatus esse viderur, verbaque adedè rectè redduntur: *& si peccata fecerit, venientur illi*, sive generatim locutionem sumas, sive etiam distributivè de unoquoque peccatorum illorum, de quibus Jacobus loquitur, accipias.

§. XXV.

Monuimus supra com. VII. *Cl. WERENFELSIUM, R. BENSONUM & Celeb. J. DAV. MICHAELIS* toto hoc loco

tau-

tantum de morbis ob certa peccata à Deo extraordinario modo immittis cogitare, hanc autem ob causam posteriores verba hæc non conditionatè reddunt *si*, sed, *quamvis peccata commiserit*. Verum, uti lubentes concedimus, *κἄν* nonnunquam hanc significationem habere, ita non videtur hic locus eam admittere. Ubi enim duæ res in eadem orationis serie conjunguntur, quarum prior nudè adfirmatur, posterior verò intercedente particulâ hac, ipsum orationis filum suadere videtur, ut posterior conditionatè accipiatur. Ut Marc. XVI. 17. 18. *Ἐν τῷ ὀνόματι μου δαιμόνια ἐκβαλεῖτε· ἡλίσσασαι λαλήσασαι· κενῶσι· Ὁφείε ἀρούρι· κἄν θανάσιμὸν τι πλωσιν, ὅυ μὴ αὐτοῦ βλάψει.* *In nomine meo ejicient Dæmonia: linguæ loquentur novis: tollent ipsi.* Deinde, nisi ita reddatur hic loci non video quomodo verba cohareant, cum nullus inter hoc membrum & præcedens nexus, sed hiulca oratio sit: *Et oratio fidei servabit decumbentem & eriget ipsum Dominus: quamvis peccata fecerit, remittentur ipsi.* Quod incommodum ipse R. BENSONUS sensisse viderur, unde coactus fuit in paraphrasi conjunctionem inserere: dum verba reddit: *Quamvis etiam gravia peccata commiserit, in quorum penam morbo laborabat: tamen ipsa illa peccata condonabuntur.* Sed hujus etiam nulla in textu vestigia sunt, si *κἄν* nudè per *quamvis* reddatur. Omnia contra plene coherent, si ea vertas, & eriget ipsum Dominus: *Ἔ, si peccata fecerit, remittentur ipsi.* Ut taceam cereròquin ex Apostoli consilio nullis agrotis nisi extraordinario morbo ob graviora peccata immisso laborantibus hac ratione succurri debuisse, cujus rei nullum indicium existat: ne hic repetam, quod com. VII. jam monui, non ad eò evidens esse, an id semper sat certò constiterit, quinam morbi ab istiusmodi gravioribus peccatis originem haberent. Interim tamen hic loci de talibus peccatis verè sermonem esse, vel ex ipsa, quam dedimus, versione potissimum constare arbitramur. Scilicet cum *nullus homo sit qui non peccet* 1 Reg. VIII. 46. de quibuscunque peccatis generatim dubitanter aut conditionatè dici minimè poterat, *si peccata fecerit*, cum id

eo sensu indubium esset, verum cum fieri quoque possent, ut quis gravioribus peccatis sibi talia incommoda singulari ratione, suo quasi jumento attraxerit, singularis est promissio, fore, ut Dominus etiam talium peccatorum veniam indulgeat, quod conditionate proponitur, quia nec in omnibus infirmis locum habebat, ad quos consilium Apostoli tamen spectabat, nec hac de re etiam forte semper satis constabat.

§. XXVI.

Ut autem hoc rectius intelligatur, observandum, quod, licet omnes morbi generatim cum omnibus vitæ hujus incommodis, peccati sequelæ sint, nihilominus tamen Deus ob peculiaria quædam, & graviora peccata, uti alia judicia, ira & atrociores nonnunquam & periculosiores morbos immittere consueverit. Et licet hoc quoque non nimis extendendum sit, ne incauto judicio, ut amicis Jobi fiebat, lex charitatis lædatur, sæpèque contingat, ut impij à majoribus calamitatibus præserventur, & pii in illas incidant, indeque sæpe responsum valeat, quod Servator discipulis, viso illo qui cæcus natus erat, quærentibus, *Domine quis peccavit? hic aut parentes ejus, ut cæcus natus sit, dabat, neque hic peccavit neque parentes ejus, sed ut opera Dei manifesta fierent.* Joh. IX. 2. vid. ib. *Cel.* LAMPIUS noster: nonnunquam tamen id verè locum habuisse, patet ex *Abimelecho* Genes. XX. 3. coll. com. 17. & imprimis ex *Corinthiis*, de quibus disertè Paulus, ob abusum Sacræ Cænæ exclamavit: *idcirco multi inter vos infirmi & debiles & plures (jam) obdormiverunt* 1 Cor. XI. 30. unde & servator, ut modo videbamus, illum à se sanatum admonebat, *ne pecca amplius, ne tibi pejus quid eveniat* Joh. V. 14. Ut taceam, nonnulla etiam peccata naturali nexu certa morborum genera parere. Talem itaque casum Apostolus hic ponit, quod & phrasis *si peccata fecerit*, non obscure confirmat. Hæc enim Scripturæ stilo utique graviora peccata innuit, vid. modo laudatus *Cel.* LAMPIUS ad Joh. VIII. 34. Istiusmodi igitur peccata, si

E

&

& morborum singulari iudicio immissorum causæ fuerint, ea condonatum iri, *Jacobus* pronunciat. Quâ phrasi *Rev. BENSONUS* nîl aliud innui existimat, quàm ipsam sanationem à morbo, provocans ad loca 1 Chron. VII. 13, 14. *Jes.* XXIII. 24. & *Matth.* IX. 2-7. Verùm, uti his locis clarissimè peccati condonatio à sanatione distinguitur, aut ut hujus beneficii fundamentum consideratur, ita *Jacobus* quoque disertè hic sanationem antea jam pollicitus est, scribens, oratio fidei decumbentem servabit, & Dominus ipsum eriget, unde necessariò, quod sequitur, & si peccata fecerit, ipsi remittentur, nî inanem ejusdem rei repetitionem admittere velimus, à præcedentibus distingui debet. Scilicet verè Deus etiam peculiaria quedam peccata remittere dicitur, quando pœnam temporalem illis contractam, & jam infligi cœptam tollit, sicque actu manifestum facit, se in illa non amplius intentato supplicio animadvertere velle. Clarissimùm ejus rei exemplum exstat in Davide. Meruerat is, homicidio in *Uria* commissò, temporalem mortem, quam Deus huic peccato statuit. Ex parabolica convictione ipsi à *Nathane* factâ, quâ prudenter ad id inductus, ipse in se sententiam pronunciaverat, quàm verè Deus vivit, *Vir, qui id fecit, filius mortis est.* 2 Sam. XII. 5. facilè intelligebat, pœnam hanc licèt homines non infligerent, sibi à Deo ipso tamen metuendam esse. At postquam verà respiscentiâ, se coram Deo exinaniverat, exclamans peccavi in Dominum, certior reddebarur Deum quidem, ut scandalum tolleretur alio modo in ipsum animadverturum, sed ipsum tamen hoc facinus ei gratiosè condonaturum mortisque pœnam ab ipso averruncaturum. Fiebat id his verbis: etiam Dominus abstulit peccatum tuum abs te, non morieris com. 13. Hinc igitur, licèt in eo à *Cl. WERENFELSIO* in Sylloge Dissert. p. 473. dissentiam, quòd non existimem *Jacobum* de illis morbis præcipuè agere, quos Deus ob certa peccata extraordinario modo immiserit, sed potiùs de quibuscunque, ad quos sanandos Presbyteri advocarentur, rectè tamen censeo, in tantùm verba hæc ex ejus mente ita accipi, quòd, si qui

qui inter illos sint, quibus morbum in pœnam certorum peccatorum inflixerit, pœnam istam ad intercessionem Presbyterorum sit remissurus, morbúmque propterea immissum ablaturus, adde quod, hæc morbi ablatio, remissionis hujus signum futurum. Atque hoc sensu admitti quodammodo posset illud Judæorum, quod aliàs fermentum Judæicum redoleret, quod ex *Nedarim* f. 41. 1. ad Matth. IX. 2. attulit Cl. SCHOETGENIUS & ex eodem loco adducitur in *Falkut Cbadafsch* f. 72. 6. *Nullus ægrotus à morbo sanatur, donec ipsi omnia peccata remissa sint.* Objicit quidem R. WOLFIUS, *admitti hanc conjecturam posse, modo preces illæ ex fide factæ, non ad intercedentes alios tantum, sed & ad ægrotum ipsum referantur, tanquam peccata sua consistentem, & remissionem eorum quærentem.* Verùm, licet nec in eo multum difficultatis esset, si dicatur, Deum ad singularem gloriæ suæ manifestationem posse ad preces fiduciâ promissionum divinarum ab ægrotto experitas, & à presbytero in fide suscipi, ægrotum morbo ob certa peccata inflicto liberare, atque in tantum dici *peccata illa remississe*, quòd pœnam illis promeritam, jamque infligi cœptam, tollat, licet ceteroquin, si sincerâ & cum verâ conversione conjunctâ fide destituatur, salutarem omnium peccatorum condonationem non consequatur, omnis illa objectio ex iis, quæ supra com. VII. & XXII. observavimus, ultrò corruit, quòd scilicet, dum ipse ægrotus juberetur eo animo Presbyteros advocare, eadem mentis dispositio, idem votum, eadem fides, eademque gratiosi hujus beneficii in precibus efflagitatio in illo supponi debeat.

§. XXVII.

Ex omnibus autem hæctenus excussis, scrupulus subnasci posset, quem eximere operæ pretium erit: Scilicet an igitur omnes ægroti pro quibus, oleo in nomine Domini unctis, Presbyteri preces funderent, sanari sint? quo pacto nulli tum temporis in quibus hæc observata, mortui esse

deberent. Verùm uti ex supra jam adducto Epaphroditii exemplo Phil. II. 27. patet, ne ipsos quidem Apostolos dono sanationum semper usos esse, ita probè observandum:

1. Quòd tales promissiones absolute propositæ semper cum tacitâ illâ restrictione, quæ in omnibus Dei viis locum habet, accipi debent, in quantum nempe ejus gloriæ, quòd omnia ejus opera tendunt, ejusque consilio, secundùm quod omnia operatur, conveniunt.

2. Preces in fide factæ, semper quoque debent huic conditioni conformari. *Si enim aliquid PETIMUS SECUNDUM VOLUNTATEM ejus, audit nos* 1 Joh. V. 14. Ubi igitur in peculiaribus casibus voluntas Dei lateret, piæ preces illi submittebdæ sunt, ita ut quod petimus, non aliter desideremus, nisi in quantum id gloriæ & voluntati ejus est conveniens. Imò cum & hic ægroti salus interveniat, nec semper constet utrum & illi sanatio conducatur, novam hoc ansam suggerebat, in obscuris casibus, non absolute, nec sine limitatione illâ, preces adornandi.

3. Inprimis autem adhuc aliæ causæ accedere poterant, ubi ne preces quidem locum inveniebant: ut si quis commisisset *peccatum ad mortem* 1 Joh. V. 16. 17. id est quod ex ipsâ Dei sententiâ morte puniendum, in quali casu, ex monito Johannis ne preces quidem pro sanitate ægroti fundendæ erant. Quâ de re mox aliâ occasione, cum chartæ hujus angustia id cum maximè non permittat, ex professo, Deo vitam virèsq̄ largiente, agemus. Eodem referri potest, si ægrotus adeò lethaliter decumberet, ut spes omnis restitutionis decollaverit. Ubi Judæi quidem paulò rigidiores sunt, dum pro tali potius mortem exorandam esse sciscunt. Sic in *Falkut Chadasch* f. 72. c. 4. ex Raschii commentario ad Nedarim f. 72. adducitur. וכתב ש

רש"י רפעמים שמצור להתפלל על החולה שימור
דהיינו כשהחלי מתגבר עליו שא"ל לו לחיל ומצטער הרבה
בחליו ואינו כרת אזי טובה הו"ל לחולה שיתפלל
עליו שימור וגו' *Et scribit illic Raschi, quòd nonnunquam officii.*

officium est orare pro aegrotis, ut moriatur, si nempe morbum nimium involuerit, & ἀδυνατον sit ut vivat, multumque crucietur morbo suo, nec tamen moriatur. Tum prodest aegrotis, ut qui precatur, mortem ipsi efflagitet, cet. In tali itaque statu aegroti, sine dubio Presbyteri ab expectanda ipsi restitutione ex morbo abstinuerunt, nisi forte certi essent, Deum, qui & mortuos suscitare valet, extraordinarium in eo signum edere velle, atque hoc jam

4. Ultimatum est quo ibam. Scilicet quibus Dominus donum Sanationum concessit, illis non solum illam largitus est fidem, ut eo cum submissione voluntatis suae in precibus, sub voluntatem Dei semper ritè uterentur, eamque prudentiam, ut ad omnes *περιστάσεις* probè attenderent, sed & illos per eundem Spiritum qui donum hoc operabatur, simul occulto consilio atque ductu, ita rexit, ut illic id inprimis impenderent, ubi id ad scopum Deo dignum optatum successum inventurum esset. Egregia & hanc in rem verba sunt Summi Cocceji nostri ad 1 Cor. XII. 9. & 10. ubi de *χαρίσμασι* sanationum & *ἐνεργήμασι* δυνάμεων operationibus virtutum, ita differit: *Conjungi haec possunt: nisi quod hoc videatur majus esse. Nam excitatio mortuorum & occisio refractariorum ad δυνάμεις virtutes potius refertur. Deinde, ἰαμάτων dantur & ordinario modo, δυνάμεις tantum extra ordinem. Fidei subiciuntur haec. Non omnis qui habet fidem, habet etiam χαρίσματα ἰαμάτων. Non enim omnibus datur hoc donum.* NAM QUIBUS ID DATUR EXTRAORDINARIO MODO, HABENT VERBUM ET SPIRITUM MOVENTEM. *Atque ita in fide sanant.*

§. XXVIII.

Alterum quod Apostolus iisdem aegrotis & in relatione ad illos consilii, est. *ἐξομολογήσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα καὶ ἕνα ἕνα ὑπὲρ ἀλλήλων ὁμοῦ ἰαθήτε. Confitemini vobis mutuo, ut sanemini.* Non Pontificii tantum haec verba de confessione peccatorum Sacer-



dori ut loquuntur, seu doctoribus Ecclesiæ edendâ accipiunt, sed & non pauci inter *Protestantes* licet planè alio consilio aliâque mente, ob nexum horum verborum cum præcedentibus idem statuunt, existimantes, hic talem innui peccatorum confessionem, quâ quis sibimet ipsi parum consilium aptus, administris Ecclesiæ statum suum deregit, ab ipsis salubre consilium expetit, & ex lapsibus adhortatione atque solatio erigi quærit. Addunt nonnulli talem confessionem etiam aliis exercitioribus Ecclesiæ membris eadem intentione fieri posse. Nihil in hac sententiâ inconueniens est, neque ejusmodi confessio insigni fructu caret, neque à moribus illius gentis, ex quæ erant ad quos *Jacobus* scribebat aliena est, cum apud eam nihil magis necessarium ægrotis statuatur, quàm generatim peccata etiam præsentibus Legis suæ doctoribus fateri, à quibus dein ab omni excommunicatione & poenis ecclesiæ prælecta solemni formulâ absolvi solent. vid. præter *BUXTORF. Synag. Judaic. cap. XLIX. SELDENUS de Synedr. Lib. II. cap. IX.* Ut tamen quod res est loquar, vix mihi videretur *Jacobus* id intendisse.

Primò enim, licet talis confessio etiam posset coram quocunque exercitioribus Christiano edi, non tamen certè rectius feliciusque quàm coram ipsis Presbyteris, quibus cura animarum commissa erat, qui omnium optimè consilium dare poterant, & qui modo circa illos unctio & intercessione occupabantur, quemadmodum idem quoque, ut modo monebamus, Doctoribus Judæorum fieri solet. Quis igitur dubitare potest, si id voluisset *Jacobus*, eum simpliciter dicturum fuisse? Ἐξομολογήσατε ἀντοῖς τὰ παραπτώματα καὶ τυχέθεσσαν ὑπὲρ ὑμῶν. *Confitemini ipsis offensiones & precentur pro vobis.* At planè mutat stilum scribens, *confitemini ἀλλήλοις vobis mutuò offensiones & orate ὑπὲρ ἀδελφῶν pro vobis mutuò.* Quæ verba nonnulli quidem de illis accipiunt, quibus peccata remittendi facultas data sit; verùm absque omni ratione, cum non solum nullum planè hujus rei vestigium hic occurrat, sed & voces ἀλλήλοις & ὑπὲρ ἀδελφῶν nihil aliud deno-

denotent, quàm vobis mutuò & pro vobis invicem, quod Rabbini dicerent אדם א. אחד לחברו unus alteri, & על חברו unus pro altero, eodem modo uti Hebr. ויש לרעהו ut Exod. XVIII. 7. ויש לרעהו איש לרעהו ubi Alexandr. reddunt και ἠσπασάντο ἀλλήλους & salutabant se invicem. conf. Gen. XV. 10. ἔθηκεν αὐτὰ ἀντιπρόσωπα ἀλλήλοις, & 2 Chron. XX. 24. ἐπέστησαν εἰς ἀλλήλους τοῦ ἐξολοθρευσθῆναι. Neque aliter plus centies in Novi Instrumenti rabulis, ut Rom. XII. 10. τῆ φιλαδελφία εἰς ἀλλήλους φιλόσογοι. Τῆ τιμῆ ἀλλήλους προσηγόμενοι, & in hac ipsa Epistolâ, cap. IV. 11. Μὴ καταλαλιῆτε ἀλλήλων ἀδελφοί. Ne obtrectetis vos mutuò fratres. conf. Cl. Michael. Unde & Interpres Syrus rectè reddit unus uni s. alteri & unus super altero & Arabs بعضكم على بعض alter vestrum alteri & بعضكم على بعض alter super altero. Tantò autem minùs Presbyteri hìc vel includi possunt, quòd minùs quisquam facile adfirmabit etiam Presbyteros obligari ad peccata sua laicis vicissim confitenda. Ut adedò mens Apostoli alia esse nequeat, quàm quòd illi ad quos scribebat sibi mutuò παραπτώματα sua confiteri debeant.

Secundò vox παράπτωμα uti generatim, quidem de quibuscunque peccatis, ita inprimis nonnunquam de illis quæ erga proximum committuntur κατ' ἐξοχὴν usurpatur, quòd tum inprimis locum habet, quando de hominibus inter se, ut hìc loci sermo est. Sic Matth. VI. 14, 15. si vero hominibus remittetis τὰ παραπτώματα αὐτῶν, offensas ipsorum, remittet & vobis Pater vester celestis. Si verò non remittetis hominibus τὰ παραπτώματα αὐτῶν, offensas ipsorum, neque vobis remittet offensas vestras. & XVIII. 35. Ita & Pater meus celestis faciet vobis, nisi remiseritis quisque fratri suo ex cordibus vestris τὰ παραπτώματα αὐτῶν, offensas ipsorum. Hinc igitur quando Apostolus jubet, ut sibi mutuò τὰ παραπτώματα confiteantur, nihil convenientius est, quàm talia intelligere, ad quæ is, cui confitenda, peculiarem relationem habebat, id est, quæ in ipsum commissa, & quibus

bus ipse læsus erat. Quod non parum confirmare vide-
rur mutua quæ exigitur confessio mutuæque preces, quia
sapissimè in talibus casibus ab utraque parte delinqui, &
offensio haud rarò partem adversam vicissim ad offensio-
nem provocare atque excitare solet.

Tertio, in primis addi meretur, quòd ex constanti loquendi
more Judæorum confessio peculiarium peccatorum, quæ aliis
fit, non est talium quæ homo erga Deum ipsum commisit,
sed quibus proximum læsit, priora enim Deo ipsi confiten-
da, nec facilè aliis divulganda esse sciunt, sed posteriora
hominibus, & quidem non illis tantùm qui iis læsi sunt, sed
etiam aliis, quo eorum ope faciliùs reconciliatio fieri queat.
Ita legitur in Sepher Chasidim f. 7. ושכח גרול לשב

שיתודה ברבי ויודיע חטאו ומגלה חטאו שבינו לבין
חבירו לאחרים אומר להם חטאתי לפלוני כך וכך

וְ לַוּס מַגְנָה עֲשִׂיתִי לִי וְהִנְנִי הַיּוֹם שֶׁבַּ וּמִתְנַחֵם וְגו'
*est respiscenti, quòd confiteatur inter multos peccatum suum quod
in proximum suum commisit, notùmque id faciat & revelet aliis,
dicens, peccavi erga hunc, sic vel sic feci illi, sed ecce
hodie revertor & poenitet me ejus, cet. & paulò post:*

כִּי אֶבְעִירָה שָׂבִין אֶרֶם לְחַבְרֹו אֶכְלָ בְעִבְרֹת שָׂבִין

אֶרֶם לְבִין קוֹנִי אִין צִרִיךְ לְפָרְסֵם וְעוֹת פְּנִים הוּא לֹו

אִם גִּלָּם לְאֶרֶם אֵלֵא שֶׁב לְפָנֵי הַבּוֹרָא בְרוּךְ הוּא וּמְפָרֵשׁ

אִם גִּלָּם לְאֶרֶם אֵלֵא שֶׁב לְפָנֵי הַבּוֹרָא בְרוּךְ הוּא וּמְפָרֵשׁ
*de quibus rebus id dictum est? de trans-
gressionibus qua inter hominem & proximum suum (quas Jacobi
stilo non incommodè appellares παραπτώματα ἢ ἀλλή-
λους) sed quòd ad transgressiones inter hominem & Dominum
suum, non est necesse, ut illa manifestet, imò impudentia foret
illa hominibus revelare, sed revertitur ad Creatorem Benedic-
tum, & exponit coram ipso peccata sua, cet.*

§. XXIX.

Talis autem confessio uti viam sternere debet ad reconci-
liatio-

nationem ita Judæi illi junctam volunt deprecationem, &
 veniæ petitionem, quam tantæ necessitatis faciunt, ut in *Bava*
kama f. 92. asserant. *Etiamsi quis offerat omnes arietes Na-*
bathææ, qui in mundo reperiuntur, non tamen ipsi remitti,
nisi veniam expetierit. ut *Cel. l. EMPEREURIUS* docet
 in not. ad *Bava kama.* cap. VIII. §. 7: ubi & non pauca Ser-
 toris præcepta hac occasione illustrat. Idem inculcat
MAIMONIDES in *bileb. Chovel* cap. V. §. IX. addens, quòd
 si etiam omnia præstiterit ad quæ Lege teneretur & mulctam
 solverit, minimè satisfactum sit, nisi & veniam expetendo
 adversarium placaverit. Imò addit Auctor Libri *Chafidim*
 f. 8. a. neque respiciendam, neque diem expiationis
 subquam absque eâ juvare, dum postquam de illis egisser,
 subjungit: או אבל עבירות שבין אדם לחבירו כגון חובל לו
 מקל או גזל וכיוצא אינו נמחל לעולם עד שיתן לו
 מה שהוא חייב לו וירצחו אף על פי שהחזיר ממנו שהוא
 חייב לו צריך לרצות ולשאול ממנו שימחול לו ואפילו
 לזה חקניש ארץ חבירו אלוה ברכי צריך לפייסו
 לו. *Sed transgressiones inter*
hominem unum & alterum, ut si eum laeserit, aut execratus,
aut depradatus sit, & simil. nunquam condonantur, donec sol-
verit ipsi quod ei debet, & placet eum; etiamsi autem ipsi
solverit pecuniam quam debet, necesse tamen est, ut eum
placet, petâtque ut sibi condonet: & licet non irritaverit
alterum, nisi verbis, necesse tamen est, ut eum placet, & ipsi
supplicet, donec condonet sibi. Quòd si non statim vellet
 offensus veniam indulgere, instandum duabus aut tribus
 vicibus, assumendique tres homines, qui ejus animum flecte-
 rent vid. *ibid.* & *Orach Chajim* num 606. f. 283. a. Ne au-
 tem opera hæc frustra sit, simul alteri parti injungunt, ut
 ad veniam concedendam prona sit, quia ceteroquin
 אכזרי *crudelis*, & in emphasi חוטא peccator foret. v.
Bava kama, **MAIMON.** nec non *Sepher Chafidim* locis
 adductis. Hanc mutuam reconciliationem inprimis insti-
 tuunt

tuunt בערב י"ה *vesperā diei expiationis*, seu die festum hoc præcedente, vid. iterum loca excitata, & *Foma* f. 92. nec non BUXTORF. *Synagog, Jud.* Cap. XXV. At inprimis quoque idem faciunt, dum ægrotant, ubi ante omnia reconciliationem necessariam statuunt, quia sine illā nullam veri nominis resipiscentiam esse posse agnoscunt, ut ex modo allatis verbis ex libro *Chafidim* pater. Hinc & qui ab aliis læsi sunt, inimicis ignoscunt. v. BUXTORF. cap. XLIX. Imò tanti faciunt hanc reconciliationem ante mortem, ut si quis alterum læserit, & læsus interea moriarur, hic etiam post ejus fata officio suo defungi quærat. Hinc dicitur in *Sepber Chafidim* f. 8. a-

החוטא לחברו ומת החבר קול שיבקש ממנו מחילה
מביא לו כני אר' ומעמיד על קברו ואומר בפניהם
חטאתי לארני אלהי ישראל ולפלוני זה שעשיתי כך וכך:
Quī peccavit in alium, si hic mortuus sit, antequam posset ab ipso veniam expetere, adducit X. homines, consistuntque super sepulchro, hic autem ait coram ipsis: peccavi in Dominum Deum Israël, & in hunc N. dum sic & sic feci. v. & *Orach Chajim* l. c.

Reconciliationis autem hujus finis erat inter alia, ut unus quoque pro altero intercederet, sicque & ejus commodum & inprimis sanationem promoveret. Urgent id præcipuè Judæi exemplo Abrahami, qui, cum Deus iussisset ut Abimelechus ipsi uxorem redderet, pro eo intercessit, quo præstito Deus Abimelechum sanavit. Unde in *Bava Kama* cap. VIII. m. 7. שהוא לא מחל לו שהוא

אכזרו שנאמר ויתפלל אברהם אל האלהים וירפא אלהים
אבוהו: *Unde autem probatur quodd, si quis condonare nolit, crudelis sit, ex eo quod dicitur (de Abrahamo Gen. XX. 17.) & intercessit Abraham apud Deum, & Deus sanavit Abimelechum.* Ex quo exemplo in JALKUT SCHIMONI P.I. f. 26. 3. quoque deducitur, etiamsi non exper-

terit

tierit id pars lædens tamen, intercessionem negligendam non esse: **החובל בחברו אע"פ שלא בקש החובל מן הנחבל צריך שיבקש עליו רחמים שנאמר ויתפלל אברהם**
*Qui alterum læsit, etiamsi id non flagitaverit, ab eo qui læsus est, necesse tamen est, ut hic pro eo imploret misericordiam, quemadmodum dicitur, Et intercessit Abraham. Ceterùm Judæi inprimis quoque visitationem ægroti ad preces pro ipso fundendas, inter officia charitatis, & media sanationis ejus promovenda, numerare solent, unde in *Falkur Chadafeh* ex *Nedarim* f. 73. dicitur, **כל המבקר את החולה,***

צורם לו שוחיה פי שמבקש עליו רחמים שיחיה:
 Quisquis invisit ægrotum, causa ipsi est ut vivat, quoniam nempe pro eo misericordiam Dei ad id implorat, ut vivat. Omnia hæc qui ritè perpenderit, & cum verbis Jacobi conferet, is sine dubio ultrò intelliget, Apostolum non de alià confessione peccatorum hic agere, quàm quibus alter alterum læserat, ut mutuâ reconciliatione factâ alter quoque pro ægrotò intercedat, sicque suis etiam precibus sanationem ejus promoveat.

Nihil itaque nos moratur nexu inter hoc comma & præcedens per partic. **וּנְיָ** igitur, quem nonnulli urgent cum licet in sex codd. græcis, & versione Hieronym. occurrat, in reliquis tamen omnibus, ut *Clar.* MICHAELIS jam monuit & vers. latinâ antiquiore, quæ vulgò *Itala* audit, desideretur, & ex simplici quam dedimus explicatione pateat, eam nullum hic usum habere. Nata autem videtur ex hypothesi illorum, qui confessionem innui censebant coram presbyteris, quemadmodum contra Auctor versionis Syriacæ, planè contrariam sententiam fovisse videtur, dum, si sensum spectes, longè rectius partic. **וּנְיָ** autem inferit, verba reddens **וְנִשְׁתַּחֲוִיתִי לְפָנָיו** *Confitemini autem* etc.

Atque ita evidens esse existimo, nos operosis demonstrationibus superfedere posse, ad evincendum, duo illa Ecclesiae Romanae Sacramenta, *Extrema Unctionis* & *Confessionis Auricularis*, quae dudum ex professo peculiaribus libris, incredibili eruditionis copia debellavit eruditissimus DALLÆUS, nullum in his Jacobi verbis praesidium invenire, cum ut taceamus universam illam cerimoniarum & *episcoporum* farraginem, quas ad utriusque essentiam necessariam faciunt, at quarum nullum plane apud Jacobum vestigium occurrit, vel hoc unum sufficiat, quod si *Unctio Jacobi* unice ad aegrotum sanitati restituendum ordinata sit, ea nihil cum illa commune habeat, quae unice in salutem animae, & extremi viatici instar, non nisi moribundis omnique spe recuperandae sanitatis destitutis, administratur. Agnovit id ipse *Ecclesiae Romanae Cardinalis CAJETANUS* neque ullum in hoc Jacobi loco, utpote de Sanatione aegri agente fundamentum habere, ut alter ejusdem Ecclesiae purpuratus *CAESAR BARONIUS* de altero Marci VI, 13. ingenuè fateretur. Inprimis autem jungi meretur, quod *Celeb. MICHAELIS* observat, in *Capitulatione*, ut vocatur, *priscæ versionis Latinae*, quâ jam ante *HIERONYMUM* utebantur, à Clariss. *MARTIANÆO* vulgatâ, discretè capitulum XIX. comprehendens hujus Epistolæ cap. V. comm. 12-16. dicatur agere, *de remediis vite presentis*. Et licet Pontificii provocare soleant ad consensum Ecclesiae Graecæ, indubium tamen est, etsi ipsa quoque statuit, unctionem hanc animæ prodesse, non minus tamen agnoscere, quod sanitati corporis recuperandae inserviat, neque adeo tam moribundis, quàm aegrotis, ubi restitutionis spes est, administrare, sæpiusque repetere, v. *Scriptores supra §. X. laudati*. Adfert quoque *Celeb. ASSEMANNUS Biblioth. Oriental.* Tom. III. P. II. p. 276. ex Pontificali Chaldaeorum clarissimum *extremae*, ut loquitur, *unctionis* indicium, verum locus quem ex *MORINO* adducit, con-

tra ipsum militat & medium potius sanationis, secundum
 Jacobi mentem indicat: *لا توضع ايديهم فوق المرضى*
فوق المرضى Ut ponant manus suas supra infirmos &
 SANENTUR. Ceterum quod Ecclesia Græca, cum Syriacâ in
 nonnullis locis, in huic diem unctionem illam continuat,
 tantò minore sit fundamento, quo magis *extraordinarium*
illud domum sanationum, cum maxime dudum cessat, di-
 vinâque providentiâ ars medicâ longè majori industria ex-
 culta est, aptissimâque mediâ proficiant, quibus tamen rectè &
 ad exemplum consilii Jacobæi, piis precibus adjutrix Dei
 gratia expetitur.

Ad confessionem autem quod spectat auricularem, si
 Jacobus loquitur de confessione non solum quam unus alteri
 edere debeat, sed & inprimis *offensionum*, quibus alter alter-
 rum læsit, ad similtates tollendas, mutuamque reconcilia-
 tionem, quin & sanitatem ægroti interveniente partis læsæ
 precibus promovendam: manifestum est, hanc quoque a
 confessione omnium omninò peccatorum, à sanis & valen-
 tibus, Sacrificio clam in aurem credendâ, sapiusque per
 omnem vitam repetendâ, sub penâ non sperandâ à Deo
 remissionis, si quicquam riceatur, toto cælo differre.

T A N T U M.



COROLLARIA.

I.

*Deus, eligendo ex omnibus possibilibus mundum cum
 malo, sapientissime egit.*

F 3

II.



II.

*Licet legitimum bellum jure nature eque ac divino
licitum sit, non tamen in eo quidvis in hostem licet.*

III.

*Ingens discrimen est inter verum & pium prophe-
tam.*

IV.

*Communia omnium honorum inter primos Christia-
nos non habuit locum.*

V.

*Literæ, vulgo sic dictæ, Samaritana non adeo pec-
culiariæ literæ, sed Hebrææ, ductibus tantum orna-
tæ, sunt.*

VI.

*Hebræa lingua semper vocales habuit, sed hodierna
earum signa antiquitus in usu non fuerunt.*

VII.

*Locus Domini VI. 4. contra trinitatem antiquam mi-
lilat; sed mysterium hoc ex eo potius confirmari potest.*

MUTUAT VIII.

*Imago Dei neque in immortalitate, neque in domi-
no hominis in creaturas confilit.*

IX.

*Utrisque tamen homo in statu integritatis gavisus
fuit.*

X.

*Christum iram Dei contra totum genus humanum
tulisse, recte catechesis Palatina asserit.*

XI.

Nec tamen inde sequitur, illum pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse.

XII.

Anima mortuorum multarum rerum, quæ post excessum earum è corpore in mundo accidunt, cognitione gaudent.

XIII.

Non tamen idcirco sancti demortui invocandi sunt.

XIV.

Piorum vitia in iudicium ultimi diei non venient.

XV.

Sacramentorum vis & fructus neque ab opere operato, neque ab intentione operantis, sed à fide solâ pendet.



XI

Et in hoc libro... omnia &...

XII

...in hoc libro...

XIII

...in hoc libro...

XIV

...in hoc libro...

XV

...in hoc libro...

XVI

...in hoc libro...

XVII

...in hoc libro...

XVIII

...in hoc libro...

XIX

...in hoc libro...

XX

...in hoc libro...



Ung. V 28

= [Dissertationes theol.
Vols 7 & 8.]

ULB Halle

001 831 976

3



1017=00

DISSERTATIO
THEOLOGICO-PHILOLOGICA
DE
UNCTIONE ÆGROTORUM
PRECIBUS JUNCTA
ET
MUTUA OFFENSIONUM
CONFESSIONE,
FRUSTRAQUE INDE EXSCULPTIS
EXTREMÆ UNCTIONIS ET CONFESS.
AURICUL. SACRAMENTIS;

AD
JACOB. CAP. V. COMM. 14, 15, 16.

QUAM
SACRÆ SYNAXEOS USUI PRÆVIAM,
a. d. Jovis, XVII. Jul.

PRÆSIDE
RECTORE MAGNIFICO,
CONRADO IKENIO
SS. TH. D. ET P. P. O. AD ÆD. D. STEPH. PAST. PRIM.
PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT
RESPONDENS,
HENRICUS GERMANUS GEORGIUS IKEN,
BURGO-STEINFURTENSIS SS. TH. C.
H. L. Q. S.

BREMÆ,

TYPIS VIDUÆ B. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
GYMNASII TYPOGRAPHI. A. M DCC XLIX.

